

Körlevelek
1828-1868.

PEL

IGNATIUS Liber Baro SZEPESEY de Négyes,

Miseratione Divina, et Apostolicae Sedis Gratia Episcopus
Quinque-Ecclesiensis, S. C. R. A. M. Actualis Intimus Sta-
tus Consiliarius, Philosophiae, et SS. Theologiae Doctor.

Venerabilibus in Christo Fratribus Cathedralis Ecclesiae
Quinque-Ecclesiensis Capitulo, Dilectis item in Christo Reverendis-
simis, Admodum Reverendis, Honorabilibus Dioecesis Quinque-Ec-
clesiensis Canonicis Honorariis, Vice-Archi-Diaconis, Parochis,
Cooperatoribus, et universo Clero tam Ecclesiastico, quam Regu-
lari Salutem, et Divinam Benedictionem!

Quod bonum, felix, faustum, fortunatumque sit, — almae
Quinque-Ecclesiarum Dioecesi semper prospere cedat, — ad Dei
Optimi Maximi Gloriam, omnis Boni incrementum, Sacri Ministe-
rii decus augendum, animarum pretioso Christi sanguine redem-
tarum magnos, solatiis plenos, expeditiores in Christiana Perfectio-
ne progressus, atque aeternam salutem sine interruptione tendat!!
mensis Martii praestitutis 13. et 14. diebus, coelo constanter placi-
do, ac sereno, Venerabili Clero, et fidei populo frequentissimo prae-
sente, in Templo Cathedrae Episcopalis, a Beatissimo Summo Pon-
tifice LEONE XII mihi creditae Quinque-Ecclesiarum Dioecesis
Gubernaculum solemniter capessivi illud solummodo suspirans, op-
tans, anhelans, svadens, ingeminans, urgens, inculcans: ut omnes,
et singuli, qui in hac Dioecesi mecum sacro ministerio fungentur,
secundum vota Ecclesiae, divini Spiritus fervore concepto, et in
fide inveniantur stabiles, et in opere sint absque cessatione efficaces!
ut quilibet Sacerdos, Caput tertium Apocalypsis, a Joanne Aposto-
lo exaratae, quam saepissime legat, meditetur, ruminet, opitulante
Deo semper clarius perspecturus Deum nihil magis aversari,
quam in sacro novi Foederis ministro teporem, et nulli terribilio-
rem poenam minari, ac segni Sacerdoti, Jesu Christi fervorem
imitandum omnibus esse propositum, sed et conantibus, ac morem
gesturis auxilium efficacissimum, et proemium nobilissimum esse
promissum! ut procul ergo relegato quovis algore, et tepore sacer
a Jesu Christo in terris accensus ignis quotidie laetiori flamma
ardeat in cordibus, et actionibus nostris! ut denique omnes Sa-
cro ministerio initiati, astrorum, et solis instar e Coelo hujus
Dioecesis beneficium lumen, et calorem spargentes, fidei, quem
pascimus, populo, sacri ignis mutuandi facilem occasionem praebeamus,
sicque omnes unitis conatibus adimpleamus illud Christi praeceptum:
Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona,
et glorificent Patrem vestrum, qui in Coelis est!!

Quia vero octo annorum decursu, quibus Episcopale munus
obeo, pondus oneris, quod humeris meis impositum est, sat, su-
perque expertus sum, illudve in dies gravius sentio, Adjutorum
meorum, Venerabilis Consistorii consilio, et opera in regimine Dioe-
cesis uti, animo statutum habeo.

13-tio. Ne diebus Domini, et Festis, in Templis Parochialibus, Cultus Divinus praescriptus, causa Processionum ad vicina, aut remotiora aliarum Parochiarum Templa ducendarum intermittatur, aut brevietur; S. Curiones, huiusmodi Processiones tantummodo usque ad limites Pagi, vel Oppidi suae Parochiae comitentur, dein ad Parochiales S. functiones revertantur.

14-to. Quia Vice-Archi-Diaconi quotannis, singulas Districtus sui Parochias adire, causa adornandarum de Fisco Ecclesiae Rationum, obligantur; in posterum eadem occasione etiam Parochias visitabunt, et statum earum secundum Normam, anno praeterito ab Officio Vicariali pro paranda Parochiarum descriptione missam, investigabunt, relationem tamen de iis solummodo exhibebunt, quae ab ultima descriptione submissa, vel Visitatione peracta, aut accesserunt, aut decesserunt, aut medelam, correctionem, emendationem exposcunt. Parochiae, quae Episcopalem Visitationem subibunt, illo anno per Vice-Archi-Diaconos non visitabuntur; Parochias vero, quibus Vice-Archi-Diaconi praesunt, Archi-Diaconi visitabunt.

Cetera autem, cum venero, disponam. (1. ad Cor. 11.) — Pro Christo Legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. In omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros, nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur Ministerium nostrum. (2. ad Cor. C. 5. — et 6.) Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis Pastorem magnum ovium in sanguine Testamenti aeterni, Dominum nostrum Jesum Christum, aptet vos in omni Bono, ut faciatis Ejus voluntatem; faciens in vobis, quod placeat coram Se per Jesum Christum. Cui est gloria in saecula saeculorum. Amen. Quinque-Ecclesiis. Dominica I. post Pascha, 13. Aprilis. Anno Domini 1828.

Ignatius Gpms

Georgius Tink

107

IGNATIUS Liber Baro **SZEPESY** de Négyes,
Miseratione Divina, et Apostolicae Sedis Gratia
Episcopus Quinque-Ecclesiensis, S. C. R. A. M. Ac-
tualis Intimus Status Consiliarius, Philosophiae, et
SS. Theologiae Doctor.

Venerabilibus in Christo Fratribus Cathedralis Eccle-
siae Quinque-Ecclesiensis Capitulo, Dilectis item in Christo
Reverendissimis, Admodum Reverendis, Honorabilibus Dioe-
cesis Quinque-Ecclesiensis Canonicis Honorariis, Vice-Archi-
Diaconis, Parochis, Cooperatoribus, et universo Clero tam
Ecclesiastico, quam Regulari Salutem, et Divinam Bene-
dictionem!

Augustissimi Imperatoris, et Regis Nostri Apostolici
Clementissimam Sollicitudinem, qua anni praeteriti mense
Majo Episcopus Quinque - Ecclesiarum renunciatus sum,
Sanctissimus Summus Pontifex LEO XII. in Consistorio Ro-
mae quinto Calendas Februarii celebrato Benignissime ratam
fecit testibus authenticis heri mihi redditus Litteris.

Secundum Can. VIII. Sess. XXIII. Generalis Concilii
Tridentini, qui auctoritate Romani Pontificis adsumuntur,
legitimi, et veri Episcopi sunt; Ceremoniale autem Episco-
porum ritum primi ad Cathedralem Ecclesiam sollemnis in-
gressus recensens, Apostolicarum Litterarum publicationem
silentio praeterit: quia tamen tenor Regionum non minus,
quam Pontificiorum Diplomatum, — Ordo debitus, — natu-
ra rei, — usus in Ecclesia Hungarica communis - laudata De-
creta — publice perlegi exposcunt; huic normae die 13^a
Martii horis pomeridianis opitulante DEO satisfacere consti-
tui, postridie solemnia Sacra celebraturus.

Scilicet, — demtis illis, quae ad solemnitatem Sacrae
Quadragesimae haud convenientem pertinent, quaeve bruma,
nondum expirante, facile impedirentur, — ordine, qui in
Romano Ceromionali, ac Pontificali praescribitur, et in al-
tero folio declaratur, Omnipotentis DEI auxilium mihi ad-
futurum sperans, grave Episcopale munus in Secunda Dioe-
cesi, utinam Vobis omnibus mihi secundissimis! auspicabor.

Gratularer quidem quam maxime, si universum Vene-
rabilem Almae hujus Dioecesis Clerum hac occasione una
Congregatum salutare mihi liceret; ast id — plurimarum Pa-
rochiarum longior distantia, — cura animarum, — frequen-
tiores hoc praesertim Pietatis Exercitiis dicato tempore sa-
crae occupationes prohibent. Eapropter sicut omnes ad me-

moratam Festivitatem humanissime invito, ita illos, qui in Urbe Episcopalis Cathedrae degunt, et huic vicini sunt, peramanter rogo: ut legibus consentanei mei, ad capessendam hujus Dioecesis gubernationem accessus, votorumque proponendorum et testes, et coram absentibus nuncii, atque interpretes esse velint.

Ut autem omnibus constet, qua ratione regimen Dioecesis prosecuturus sim, pauca addo:

1. Quia Vicarii, et Causarum Auditoris Generalis Officium in hac Dioecesi stabilitum est, Idem Venerabilis Consistorii Consessibus, quorum materia erunt Lites Juris norma observata dijudicandae, ac determinandae, praeerit, nisi adjuncta Episcopi praesentiam postulaverint.

2. Quoties ab Urbe plures dies abfuero, Vicarius Generalis omnia Dioecesana negotia modo, quem ipse sequar, tractabit facultatibus etiam à Sede Apostolica mihi concessis pro sapientia sua ad salutem animarum usus;

3. Dum ipse Quinque-Ecclesiis adfuero, et valetudo mihi faverit, responsa solummodo a me dabuntur; atque ideo

4. Semper omnes Litterae ad officium Dioecesanum mittendae mihi inscribentur, illarum autem involucrum, quas unice per me reserari desideraverit Scriptor, vocibus: *Ad proprias manus* signabitur;

5. Plura distincta objecta eidem epistolae non inserantur, sed pro singulis separata Charta adhibeatur.

Ceterum (ad Hebr. 13.) Orate pro nobis, confidimus enim, quia bonam conscientiam habemus in omnibus benevolentes conversari. Ipse autem (2. ad Thess. 3.) Dominus Pacis det Vobis pacem sempiternam in omni loco! Quinque-Ecclesiis in Curia Episcopali die 9^a Martii Anno Domini 1828.

Ignatius Spuler

Georgius Finta
Montajug

ORDO

Ingressus ad Ecclesiam Cathedralem causa auspicandi Regiminis Dioecesis.

1.) Die 13^a Martii a meridie hora prima Campana maxima dabitur primum signum, media secunda alterum, et secunda fiet compulsus;

2.) Venerabilis Clerus Sacris Vestibus indutus, aliquot minutis ante secundam horam ad domesticum sacellum Episcopale comparebit, et Episcopum, Pluviali amictum, ad Templum Cathedrale, si tempus admiserit, per aream, et majorem portam, secus per ambitum, et Corporis Christi Sacellum deducet;

3.) Episcopus primo ingressus ad Templum aqua benedicta se, aliosve adasperget, et thus adolendo boni odoris spargendi admonebitur;

4.) Mox Cantores in Choro musica comitante canent solemniter hymnum: *Te Deum laudamus*;

5.) Episcopus sub Baldachino per DD. Senatores L. R. Civitatis Quinque-Ecclesiensis portando usque Cancellos procedet, dein ante aram majorem flexo poplite SS. Sacramentum adorabit, ac terminata per seniores Canonicum e Venerabili Capitulo praesentem Oratione: *Protector*, e suggestu latinum Sermonem dicturus est ad Venerabilem Clerum, cujus interstitium impendetur lectioni Benignarum Regiarum Collationalium, et Romanarum Bullarum;

6.) Episcopus capiet locum in Stallo, et Venerabile Capitulum, item Adstantes accedent ad manus osculum, sed non alii;

7.) Episcopus accedet ad aram, et finita Oratione de Patrono Ecclesiae praesentibus solemnem Benedictionem impertietur;

8.) Recitabuntur Completorium, et Matutinum cum Laudibus sequentis diei;

9.) Episcopus adsumta Cappa praecedente Venerabili Clero redibit per ambitum ad Sacellum domesticum.

Die

Die altero mane:

A. Octava dabitur primum signum, media nona alterum, et nona hora erit compulsus;

B. Episcopus ingreditur Templum sicut heri, sed Cappa amictus, sub sonitu Tympanorum, et Tubarum;

C. Absolutis praevis per Venerabile Capitulum ceteris Horis Canonicis, canetur *Nona* et quidem Psalmi Tono VI. sonante organo, sub quo Cantu Episcopus induet sacras vestes cum Pluviali;

D. Terminata Oratione Nonae adsumet Episcopus reliquas sacras vestes, et celebrabit sacrum solemne musica choralis sonante, sub quo post Communionem Episcopi, Clerus Junior silente organo canet *Confiteor*, et devote sumet Eucharistiam;

E. Sub Consecratione, et Elevatione Hostiae silebit musica, et cessabit Cantus;

F. Post benedictionem solemnem promulgabuntur Indulgentiae;

G. Episcopus adsumto Pluviali ascendet ambonem, et dicet sermonem hungaricum ad Concionem; Denique.

H. Legentur Vesperae, hisque finitis Episcopus revertetur, prout venit.

H. O. A. M. D. G.

IGNATIUS Liber Baro **SZEPESY** de Négyes, Miseratione
Divina, et Apostolicae Sedis Gratia Episcopus Quinque - Ecclesiensis,
S. C. R. A. M. Actualis Intimus Status Consiliarius, Philosophiae,
et SS. Theologiae Doctor.

Venerabilibus in Christo Fratribus Cathedralis Ecclesiae Quinque-Ecclesiensis Capitulo; Dilectis item in Christo Reverendissimis, Admodum Reverendis, Honorabilibus Dioecesis Quinque-Ecclesiensis Canonicis Honorariis, Vice-Archi-Diaconis, Parochis, Cooperatoribus, atque universo Venerabili Clero tam Ecclesiastico, quam Regulari, necnon Fidei Populo Salutem, et uberrimam a Deo Largitore Bonorum omnium Benedictionem!

Quam ineunte vere, opinione velocior, absolutissimi Summi Pontificis PII VIII. electio communem, maximamque Universo Catholico orbi adtulit laetitiam, eandem nunc optatissimis donis cumulari Vobis annunciamus. Scilicet: primo gravissimi muneris auspicio mente revolvens Summi Pastoris in terris Vicarius illud Apostoli Jacobi monitum: *Siquis autem vestrum indiget Sapientia, postulet a Deo; omne datum optimum, et omne donum perfectum de sursum est, descendens a Patre Luminum; — Orate pro invicem, ut salvemini, multum enim valet deprecatio Justi assidua; — — simul Pastores gregis Domini, et universum fidelem populum, cui Divina Providentia praefectus est, exemplo suo docere cupiens omnes occupationes Dei auxilio invocato et ordiri, et prosequi, — vestigia immortalis nominis Antecessorum suorum secutus publicas, solemnesque pro felici, in arduis praesentibus adjunctis, Ecclesiae regimine Supplicationes, in universo Catholico orbe institui, et ardentem optat, et impense commendat, et paterne jubet. Ut autem harum precum tanto certior sequatur effectus, convenienter illis Davidis suspiriis: „*Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor contritum, et humiliatum Deus non despicies*“ quatuordecim dierum decursu reconciliationis, et expiationis sacra exercitia frequentari urgentur, quibus pro suprema ligandi, et solvendi potestate, quam visibile Ecclesiae Caput in Petro a Christo accepit, Sanctissimus Pontifex Pius VIII. Ecclesiae Thesaurum reserat, et ampliarum Coelestium gratiarum, a Deo impetrandarum patentissimam viam aperit eadem prorsus Sacra munificentia, qua Annus Jubilaei caeteris praestat.*

Haec singuli vestrum Venerabiles Fratres, et Dilecti Filii clarissime intellecturi sunt e tenore Apostolicarum Litterarum sequentium: Sanctissimi Domini Nostri PII Divina Providentia Papae VIII. Litterae Apostolicae:

P I U S PP. V I I I.

Universis Christi Fidelibus Praesentes Litteras inspecturis Salutem,
et Apostolicam Benedictionem!

In supremi Apostolatus fastigium ex Divina benignitate nullo certe meritorum suffragio, evocati, venisse Nos conspeximus in altitudinem maris, in quo ne infeliciter demergamur, sola Illius dextera efficere potest, quae Apostolorum Principem Petrum in fluctibus ambulanti erexit. Ab ipso itaque praesentissimum illico auxilium humilibus, ac communibus est votis postulandum, cui placuit exiguitatem Nostram ad tam excelsam, et summe etiam pertimescendam dignitatem evehere. Nisi enim dextera Domini, quae exaltavit Nos, faciat virtutem, et fortitudinem ipsa Nobis multiplicet ac robur, in irritum cederent omnia studia Nostra, et sollicitudo, quae Nos urget, omnium Ecclesiarum. Preces idcirco universi Dominici Gregis, cujus est Nobis regimen demandatum, exquirendas enixe duximus, id revolvens animo, Petro scilicet coelestem opem ex prodigio adfuisse, quando oratio ab Ecclesia sine intermissione fiebat pro eo. Quod ut ardentiori pietatis sensu, animisque rite comparatis peragatur, gratiorque et magis accepta hostia haec laudis dirigatur in conspectu Domini, exemplis Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum, hoc veluti periculosi itineris viatico, Pontificatum auspicantium, insistentes, Ecclesiae thesauros, quorum Nobis est adtributa dispensatio, Apostolica liberalitate proferre decrevimus, indicta universo Catholico Orbi indulgentia ad formam Jubilaei.

Itaque de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi atque solvendi potestate, quam nobis Dominus, licet indignis, contulit, universis et singulis utriusque sexus Christifidelibus in Alma Urbe Nostra degentibus, qui Sancti Joannis in Laterano, Principis Apostolorum, et S. Mariae Majoris Basilicas, vel earum aliquam, a tertia Dominica post Pentecosten, nimirum a die vigesima octava hujus mensis usque ad diem duodecimam sequentis Julii inclusive, quae erit quinta post Pentecosten Dominica, bis visitaverint intra duas illas hebdomadas, ibique per aliquod temporis spatium devote oraverint, ac quarta et sexta feria et Sabbato unius ex dictis hebdomadibus jejunaverint, et intra easdem hebdomadas peccata sua confessi, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum reverenter sumpserint, et pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique suggeret devotio, erogaverint; ceteris vero extra Urbem praedictam ubicumque degentibus, qui Ecclesias ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis, seu Officialibus, aut de eorum mandato, et ipsis deficientibus per eos, qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hae nostrae pervenerint, designandas, vel earum aliquam, spatio duorum similiter hebdomadarum per eosdem una cum Ecclesiis stabiliendarum bis visitaverint, aliaque supra recensita opera devote peregerint: plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, sicut in anno Jubilaei visitantibus certas Ecclesias intra et extra Urbem praedictam concedi consuevit, tenore praesentium concedimus et elargimur.

Navigantes vero, et iter agentes, ut cum primum ad sua sese domicilia receperint, operibus suprascriptis peractis, et bis visitata Ecclesia Cathedrali, vel majori, aut propria Parochiali loci eorum Domicilii, eandem indulgentiam consequi possint et valeant: Regularibus autem personis utriusque sexus etiam in Claustis perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque tam Laicis quam Ecclesiasticis, Saecularibus vel Regularibus in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui memorata opera vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut illa Confessarius ex actu adprobatis a locorum Ordinariis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quae ipsi Poenitentes efficere poterunt, cum facultate etiam dispensandi super communione cum pueris, qui nondum ad primam communionem sunt admissi, pariter concedimus et indulgemus.

Insuper omnibus et singulis Christifidelibus Saecularibus et Regularibus cujusvis ordinis et instituti etiam specialiter nominandi, licentiam concedimus et facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Praesbyterum Confessarium tam Saecularem quam Regularem ex actu adprobatis a locorum Ordinariis (etiam pro Monialibus, quatenus Poenitens Monialis professae vel novitiae sit) qui eos ab excommunicationis, suspensionis, et aliis Ecclesiasticis sententiis et censuris a jure vel ab homine quavis causa latis seu inflictis praeter infraexceptas, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, et delictis quantumvis gravibus, et enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis et Sedi Apostolicae, speciali licet forma, reservatis, et quorum absolutio alias in concessione quantumvis ampla non intelligeretur concessa, in foro conscientiae et hac vice tantum absolvere et liberare valeant, et insuper vota quaecumque etiam jurata, ac Sedi Apostolicae reservata (castitatis, religionis, et obligationis, quae a tertio acceptata fuerint, seu in quibus agatur de praejudicio tertii, semper exceptis, necnon poenalibus, quae praeservativa a peccato nuncupantur, nisi commutatio futura judicetur ejusmodi, ut non minus a peccato committendo refragnet, quam prior voti materia) in alia pia et salutaria opera commutare, injuncta tamen eis, et eorum cuilibet in supradictis omnibus poenitentia salutari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis.

Non intendimus autem per praesentes super aliqua alia irregularitate vel publica, vel occulta, seu defectu, aut nota, aliave incapacitate, aut inhabilitate quoquomodo contractis dispensare, vel aliquam facultatem tribuere super praemissis dispensandi, seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi etiam in foro conscientiae; neque etiam derogare constitutioni cum opportunis declarationibus editae a fel. record. Benedicto XIV. Praedecessore Nostro „*Sacramentum Poenitentiae*.“ neque easdem praesentes iis, qui a Nobis, et Apostolica Sede, vel ab aliquo Praelato, seu Judice Ecclesiastico, nominatim excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias et censuras incidisse declarati vel publice denunciati fuerint, nisi intra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere.

Quapropter tenore praesentium in virtute sanctae obedientiae districtae praecipimus atque mandamus omnibus et quibuscumque Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis, et aliis Ecclesiarum Praelatis, ac quibuscumque Ordinariis locorum ubicumque existentibus, eorumque Vicariis, et Officialibus, vel iis deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, ut cum praesentium litterarum transumpta, aut exempla etiam impressa acceperint, illa statim absque ulla mora, retardatione, vel impedimento, per suas Ecclesias, et Dioeceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, et Loca publicent et publicari faciant, Ecclesiamque seu Ecclesias visitandas, ac tempus pro praesenti Jubilaeo designent.

Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles Indulgentiarum, et facultatum hujusmodi concessionem, nisi de illis ex-

pressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant; necnon Regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum et Congregationum, sive Institutorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus et Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servata habentes, hac vice specialiter, nominatim, et expresse ad effectum praemissorum derogamus; caeterisque contrariis quibuscumque. Ut autem praesentes Nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut earundem praesentium transumptis vel exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, ubique locorum, et gentium eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si fierent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die decima octava mensis Junii anno millesimo octingentesimo vigesimo nono, Pontificatus Nostri Anno Primo.

J. CARD. ALBANUS.

Ut Summi Pastoris sollicitudo, et pietas etiam in hac Alma Dioecesi, opitulante Deo, optato effectu donetur, votis Beatissimi Summi Pontificis satisfacturi praescribimus observanda:

1-o. Tempus hujus spiritualibus solatiis plenae Indulgentiae exordium sumet Dominica III. Adventus, quae *Gaudete* nominatur, et terminabitur Festo S. Joannis Apostoli.

2. Mox memorata die Domini ante sacrum solemne annuncientur ex ambone fideli populo in singulis Templis Parochialibus illucescentes dies salutis, et tempus acceptabile, — publicetur tenor Apostolicarum Litterarum vernaculis lingvis, — subjungatur sacer sermo, quo piorum exercitiorum ordo explicandus, et fidelis populus ad vota Summi Pastoris pro suo, et universae Catholicae Ecclesiae emolumento quam adcuratissime explenda peculiari cum ardore exstimulandus, atque accendendus erit.

3. Die eadem solemni Missae Sacrificio praemittatur hymnus: *Veni Sancte Spiritus*, quem Cantor, et populus e pagellis precum occasione administrandi Confirmationis Sacramenti dicendarum vernacula in qualibet Parochia potioris partis lingua prosequuntur.

4. Quia intra Dominicam tertiam, et quartam Adventus universali lege praeceptum, Quatuor Temporum Jejunium hoc anno recurrit, et Apostolicae Litterae trium dierum peculiare Jejunium injungunt, etiam feria 2. 3. et 5. singuli Indulgentias lucrari desiderantes noto more jejunabunt; atque ideo integris sex diebus per hebdomadam a prohibitis cibis abstinebunt, et praeter modicam coenam una refectioe utentur.

5. Quarto die Domini Adventus, item solemni Festo Nativitatis Domini a meridie hora prima detur primum, et media secunda alteram Signum, secunda vero fiat Compulsus pro divino cultu; mox dicatur catechetica Exhortatio de Indulgentiis, atque his jungendo — velut conditione Indulgentiarum — pro admissis peccatis satisfaciendi studio; — canatur notus hymnus de Sanctissimo, et Venerabile Sacramentum in Monstrantia exponatur, atque sic integrum Rosarium quindecim Decadum cum mysteriis, dein Lytaniae OO. Sanctorum cum adnexis precibus Sacerdote ab altari, vel ex ambone praeunte, et fideli populo comitante ad intentionem S. Matris Ecclesiae, scilicet: pro fausto regimine Beatissimi Papae PII. VIII. — pro erroribus, et vitiis extirpandis, — Ecclesia Catholica propaganda, — Concordia Principum, — pace, et unitate Christianorum populorum, — atque Conversione omnium dissentientium ad gremium S. M. Ecclesiae, quae est columna, et firmamentum veritatis — — devote orentur; — his absolutis, praecedente, et sequente hymno ex iisdem pagellis cum cantu: *Sit nomen Domini Benedictum*: prout in Processione Theophorica moris est, detur solemnis Benedictio cum Venerabili Sacramento. Religiosi et Studiosa Juventus, ubi Templum eorumdem simul Parochiale non est, sicut diebus Rogationum, et Festo Theophoriae ad Parochiale Templum transibunt, et Divino cultui intererunt. Solemnes preces Quinque-Ecclesiis in Cathedrali, et Ordinis S. Francisci Templo Hungarica, — in Templo ad B. Mariam Virginem Germanica, et in Templo ad S. Augustinum Illyrica Lingva recitabuntur. In ceteris plurium Lingvarum Parochiis eadem preces secundariis Lingvis Festo S. Stephani Protomartyris ante, vel post meridiem persolventur. *per S. Joannem Angeli*

6. Intra dies quindecim singuli, qui favorum in Apostolicis Litteris recensitorum participes esse cupiunt, peccata sua contrito corde confiteantur, et quantum fieri potest, mox memoratis publicarum Supplicationum diebus sub solemni Missae Sacrificio (aut, cujus adjuncta id non admitterent, alias per decursum hujus temporis) Sanctissimam Eucharistiam devote sumant. Denique

7. Quisque pauperibus, vel ad pia Instituta, quale nunc est, haud pridem annunciata praedicatio Evangelii inter feros Americae populos, in qua desudantes Sacri Curiones Symbolas Fratrum praestolantur, — tantum largiatur, quantum facultates ejusdem sinunt.

Quodsi aut morbus, aut peregrinatio nonnullis obicem posuerit, quominus diebus publicarum supplicationum ad Templum Parochiale comparere possint, aliis opportunis duabus diebus mane idem Templum visitando, et sub Sacro Missae Sacrificio Corollam B. M. V. atque alias pias preces devote recitando eandem obligationem explebunt. Imo secundum tenorem Apostolicarum Litterarum e peregrinatione reduces, velut prius impediti, mox post reditum praemissa praestituri, quod absque culpa sua differre debuerunt, pariter cum aliis consequi poterunt.

Sacras Confessiones audituri facultatibus ab Apostolica Sede concessis ita utentur, ut eorum, quae de Sacramento poenitentiae Concilium Tridentinum Sacerdotibus inculcat, memores, dum emendatio morum optatur, potestatis concedendae Indulgentiae sinistram interpretationem, qua Heterodoxi doctrinam Catholicae Ecclesiae sugillant, non modo non foveant, sed falsam, injunctis salutari bus satisfactionis operibus demonstrent, et sic animarum saluti, atque Christianae perfectioni promovendae, pro viribus consulant.

Obsecro itaque vos (cum Doctore Gentium ad Rom. C. 12. v. 1. — 11. 12.) Fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, charitate fraternitatis invicem diligentes, Spiritu ferventes, Domino servientes, Spe gaudentes, orationi instantes! ut Nativitatem Humani Generis Reparatoris iterum celebraturi ad novam vitam renascamur, et veterem hominem exuentes cum moribus, et actibus ejus, novumque, qui secundum Deum creatus est, in justitia et sanctitate veritatis induti, laeti novum ordiri valeamus annum. Ipse autem (1. ad Thessalon. Cap. 5. v. 23) Deus pacis santificet vos per omnia, ut integer Spiritus vester et anima, et corpus sine querela in adventu Domini Nostri Jesu Christi servetur! Quinque Ecclesiis. Dominica XXI post Pentecosten Calendis Mensis Novembris. Anno Domini Millesimo Octingentesimo Vigesimo Nono.

Ignatius Episcopus

*Georgius Antas
Secretarius*

Quamvis nulla sint tempora, quae divinis non sint plena muneribus, et semper nobis ad misericordiam Dei per ipsius gratiam praestetur accessus: attamen singulis annis omnium mentes majori studio ad spirituales profectus moveri, atque ampliori fiducia oportet animari tunc: dum ad universa pietatis officia, illius nos diei, in quo redempti sumus, recursus invitat; ut excellens super omnia Passionis, quam ineffabili ratione divina Persona aeterni Patris aeternus Filius in humana natura subivit, Sacramentum purificatis et corporibus, et animis celebremus. Debeatur quidem tantis mysteriis ita incessabilis devotio, et continuata reverentia, ut constanter in conspectu Dei permaneremus tales, quales nos in ipso paschali Festo dignum est inveniri; sed quia haec fortitudo paucorum est, ad reparandam mentium puritatem magna divinae Institutionis salubritate quotannis quadraginta nobis dierum exercitatio medetur: quibus aliorum temporum culpas et pia opera redimere, et jejunia casta decoquere possint.

Liberum quidem est unicuique nostrum voluntariis castigationibus proprium corpus adficere, et nunc moderatius, nunc vero districtius repugnantes spiritui carnales concupiscentias edomare; nihilominus quibusdam diebus ab omnibus oportet pariter observari generale jejunium, quoniam tunc efficacior sanctiorque devotio redditur, quando in operibus pietatis totius Ecclesiae unus animus, et unus est sensus. Quapropter Christianus miles etiamsi specialibus praeliis, implorato divinae protectionis auxilio, possit fortiter facere, tutius tamen, et feliciter dimicabit: si adversus carnem mundum spiritusve nequam palam in acie steterit, ubi non suis tantum viribus certamen ineat, sed sub invicti Regis imperio fraternis consociatus agminibus bellum universale conficiat. Profecto minori discrimine plures confligunt cum hoste, quam singuli; nec facile patet vulneri, quem, opposito Fidei bonis operibus florentis scuto, non sua tantum, verum aliorum quoque fortitudo defendit: ut ubi est una omnium causa, sit una victoria. Hucusque Leo Magnus.

Omnibus retro temporibus, et apud omnes nationes, quae aliquam seu veram, seu falsam religionem professae sunt, Jejunium in more fuit. S. Hieronymus ethnicorum jejuniis utitur, ut acerrimum jejunii hostem Jovinianum pudore suffundat. A Mosis aetate in sacris veteris Foederis libris multa leguntur praecepta partim, partim commendata jejunia, et numerosa jejunantium Deo probata exempla, quorum ratio non in eo solum versatur, ut serius comedatur, sed ut una etiam cupiditatibus coercendis idonea alia pia opera frequententur. Quod vero ad novam Legem adinet; quis christiano nomine gloriantium ignorare potest, novi sacri Foederis Conditorem Jesum Christum et quadraginta dierum Jejunii, imitationis abs dubio causa, solenne exemplum praebuisse, — et de fide sibi discipulis adfirmasse: *Cum ablatus fuerit ab illis sponsus, tunc jejunabunt?* Reipsa, quemadmodum historia docet, primorum Christifidelium omnis vitae ratio nihil aliud, quam abstinenciae, abnegationis, privationum, et jejuniorum series, contextusque veluti quidam erat. Verum nascentis Ecclesiae temporibus ea tantum obligationis jejunia censebantur, quae Pascha praecedebant, Quadragesima scilicet; jejunia cetera non nisi pedetentim obtinuerunt.

Sanctae Matris Ecclesiae Latini Ritus Catholicae leges, memorato Christi oraculo apprimè consentaneae sunt, quae de Consecratione Distinctione tertia, et quinta, item Decreti parte prima Dist. 76ta recensentur sequentes: „Omnes Ecclesiae filii, exceptis diebus Dominicis in Quadragesima etiam die Sabbathi jejunent; — Non oportet in Quadragesima quinta feria ultimae hebdomadae jejunium dissolvere, et totam Quadragesimam inhonorari, sed per totos hos dies jejunare, et escis abstinenciae convenientibus, id est aridioribus uti; — Jejunia quatuor temporum hoc ordine celebrentur: primum in initio Quadragesimae, secundum in hebdomada Pentecostes, tertium vero in Septembri, quartum in Decembri more solito fiat; — Ob reverentiam sepulturae Dominicae sabbatho

pertiendi, et per hos indulgentia utendi erga illos, qui causas excusantes adferunt, licet ob distantiam loci, aliave impedimenta ipsi coram Episcopo se sistere, aut scriptas preces suas tempestive exhibere nequeant.

Normam largiendae manducandarum in Quadragesima prohibitarum escarum veniae singulis annis iterare supervacaneum foret; hinc Regulam, donec Quinque-Ecclesiarum Episcopus fuero, in posterum semper observandam constituo sequentem:

1. Singuli Animarum Curatores Dominica Sexagesimae quotannis ex ambone dicendo sacro Sermone Legum Ecclesiasticarum de abstinence, et Jejunio, latarum praestantiam, spiritumve explicent, atque una diligentem earum observantiam Auditoribus suis commendent addito monito, ne ullus diebus jejunii, et abstinentiae absque praevie impetrata venia vetitis cibis vescatur.

2. Illis, qui graves causas adduxerint, atque ideo dispensationem petierint, solummodo pro Quadragesima optata venia scripto detur.

3. Dispensationis hujus objectum est tantummodo remissio abstinentiae, non vero Ecclesiastici Jejunii quoad unicum quotidie plenam refectionem, jejunare etenim sensu Ecclesiastico, seu praeter prandium circa meridiem, et tenuem coenulam vespertinam aliis horis nihil cibi, vel etiam nutrientis potus sumere, sicque Temperantiam, quae corporis quoque Sanitati servandae majorem in modum conducit, singulari studio colere completo 21. aetatis anno bene valentes obstricti sunt omnes.

4. Causae Dispensationis quoad abstinentiam sunt: Infirmitas, — senectus, — paupertas, — peregrinatio, — nimium difficiles, et corpus enervantes labores, — defectus ciborum, quibus uti diebus abstinentiae licet, nempe: ovorum, piscium, butyri, et his similibus, — nec non aliae memoratis pares rationes.

5. Num causa desideratae veniae veritate nitatur? investigandum non est sed petentis conscientiae relinquatur.

6. Dentis infirmis ceteri, qualemcunque causam adferant, singulis quartis, ac sextis feriis, et Sabbathis, item feria quinta sacrae hebdomadae abstinere jubeantur, ideoque ad hos dies dispensatio non extendatur.

7. Quoniam hodie secundum jam receptam consuetudinem Sancta Mater Ecclesia admittit: ut praeter unam plenam refectionem in prandio circa meridiem etiam modica coena vesperi sumatur; si dispensatione usuri ob angustiam rei familiaris solummodo prandii reliquiis vesci debeant, egestatem querentibus etiam venia absumendi in coena e carnibus id, quod a prandio remansit, concedi poterit; verum, qui sumtu, novis parandis cibis necessario, non carent, esuriales vesperi adponendos curent, si absque coena valetudinis jacturam metuerent.

8. Omnibus dispensationem accepturis injungatur: ut diebus illis, quibus carnibus vescantur, abstinentiam piis ad Deum precibus elemosyna, aliisque bonis operibus compensent, et peculiariter pro Catholicae Ecclesiae propagatione, et sincera ad Deum tam Schismaticorum, haeticorum, infidelium, quam peccatis deditorum conversione quinque vicibus Orationem Domini ac Salutationem Angelicam nec non semel Symbolum Apostolorum devote orent.

9. Nemini dispensatio amplior detur, quam ipse desideret, et Schedae dispensationis memoratae condiciones inscribantur.

10. Dispensationem hanc praestituto modo Parochi quidem intra ambitum ipsis creditae Parochiae degentibus saecularibus fidelibus, — Reverendissimus D. Vicarius Generalis autem Ecclesiasticis Sacerdotibus, et Religiosis tam Presbyteris, quam Laicis attamen solius testimonio medici probatae infirmitatis, aut servandae valetudinis causa largiri poterunt.

Litterae hae integrae singulorum Parochiarum Protocollis inserantur, et per Vice-Archi-Diaconos singulis Annis mense Januario dimittenda ad Fratres, quibus praesunt, epistola sacris Curionibus in memoriam revocentur, ut attente relegantur, et sedulo observentur.

Ceterum gratissimum mihi erit intelligere, quod praeexistentibus sacerdotibus per fidelem hujus Dioecesis Populum et Jejunii, et abstinentiae Ecclesiasticae praecepto accurate satisfiat, atque dispensatione uti cupientes facile numerari possint. Hoc sperans pia ad aram memoriae commendatus persevero.

W. R. D.
Ecclesiarum die 6. februarii 1829.

Adhuc
Ignatius J. J. J.

IGNATIUS

EPISCOPUS QUINQUE-ECCLESIARUM.

Venerabili Clero Almae Dioecesis Quinque-Ecclesiensis Salutem et
largam a DEO Benedictionem!

Quantopere curae ac cordi sit Optimo Principi Patri Patriae Augustissimo Imperatori, et Regi nostro Apostolico debita institutio etiam in minoribus Oppidis atque pagis succrescentis juventutis numerosa de vernaculis Scholis edita benigna mandata sat superque docent. Verum sollicitudo Summi Principis optatum effectum laud nanciscetur; nisi eidem assiduam operam navent praecipuis illi: quorum praecipuum nobilissimumque Officium est peculiariter rudem populum docere. Non puto ullum e Clero hujus Dioecesis futurum, cui primum utilitatem atque necessitatem Vernacularum Scholarum, aut obligationem doctrinae apud teneram aetatem inchoandae Sacris Curationibus incumbentem persuadere oporteret. Profecto Christiana Religio, lectio ac Scriptio vernaculae linguae, atque elementa Arithmeticae, quae in vernaculis Scholis traduntur, cuilibet homini adeo necessaria sunt: ut horum notitia nemo sine gravi detrimento carere possit; imo lectionem et Scriptionem etiam doctrinae Religionis bene condiscendae, et Sacrarum exhortationum, quae in Templis dicuntur, usui durabili capiendi plurimum adjumenti adferre si quis negare praesumserit etiam, demonstrabit attamen nunquam. Quod porro curam animarum adinet; quid quaeso huic convenientius sedula eruditione tenellarum prolium in vernaculis scholis his veris singularum Parochiarum plantariis? Omni potestate in Coelo, et in terra pollet, qui Sacerdotibus novi Foederis praecipit: docete omnes gentes — docentes eos servare omnia, quaecunque mandavi vobis, atque idem tenerimo cum affectu praecipuum prolium rationem habendam esse pronuntiavit dominus: qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit.

Tenellae proles sunt agnelli gregis Domini, cujus pascendi provinciam volente Deo suscepimus, timidi quidem, sed ad vocem Pastoris audiendam maxime prompti; — sunt flores, qui amoene sese explicant, sed et cito flaccescunt neglecti, — sunt pretiosa semina in agro Domini sparsa, quam a noxiis suffocantibus herbis repurgare, pastinare, curare saepe necesse est: ut fructum centuplum, quem pollicetur, ferre valeat. Quod apostolus Paulus ad Corinthios scripsit de se, idipsum quivis animarum Curator de efflorente intra ambitum Parochiae sibi creditae tenera aetate cumprimis adseverare potest: in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui; igitur vestigia Doctoris Gentium premendo parvulis etiam spiritualis Patris satisfacere indefesse conetur est necesse. Ipse Pater est parvulorum, quorum regenerationis ad vitam aeternam per salutare lavacrum instrumentum constitit; parvuli vero sunt totidem filii, filiaeque ejus paternae sollicitudini, (quae etiam ad Pauli monitum: et vos Patres educate filios vestros in disciplina et correptione Domini, complectitur) a Patre Luminum commissi. Per naturales genitores Deus fluxam temporalem corporis vitam natis donavit; opera ministrorum Religionis eosdem vitae aeternae haeredes creavit. Spiritualis cognationis vinculum, quod sacra unda abluentem intus, et ablutum enascitur, quodve Sancta Mater Ecclesia perenne constituit, Sacris Curationibus constanter calcar addere debet: ne nomina libro vitae a se insertorum inde decipi patiantur, — ne vota omnipotenti nuncupata oblivioni dentur, — ut parvuli pollicitationes illorum nomine factas et intelligant, et expleant, — ut fides ac virtus in corde innocentium mature profundas radices agant, novaque semper incrementa capiant. Institutio ab dubio tunc est expeditissima: dum discipuli magistrum reverenter audiunt, — ab ore magistri pendent, — praepudiciis, quibuscum decertandum foret, nullis adhuc laborant, — nutu vultu adducto, voce acriori attenti redduntur; ast puerili aetate neglecta obices semper praesens et serius insuperabiles emergere tristic experientia testatur. Vosmetipsos testes appellate, qui in vinea Domini laborantes portatis pondus diei et aestus! cui tribuitis culpa, si Parochiae regimen auspicati rudem ignorantem indocilem improbum populum offendatis, nonne justae indignationis omnia fulmina in caput antecessoris vibrantur? vita uniuscujusque animarum Doctoris aetatem hominis requirit, ut sentes, ac tribuli, quibus domo patrefamilias ager Domini obductus

est, evellantur, extirpentur, eradicentur. Ab adverso; si quis vestrum in Parochia, cui praeest, Juventuti tempestive salutaris fidei ac morum doctrinae recta principia instillaverit, ac indiderit; secuturis laboribus Vestris jucundam sternetis viam, — secundo omine jacta sementis sudores vestros ditissima coronabit messe, — successores vestri vos laudibus in coelum extollent, cineribus, manibusque vestris optime precabuntur, bene coepta alacres prosequuntur, — Obtrectatores Ordinis nostri hoc praepremis aevo haud pauci adminus rubore suffusi obmutescunt. Si quos etiam eorum, quibus pueris adhuc docendis operam vestram impenditis, serius a recto tramite aberrare contingat; semper tamen bene sperare licebit: semen Religionis cordibus eorum insitum revicturum, et haustae doctrinae oblitus levi negotio ad frugem reductum iri. Quia vero Scholasticus institutio clauditur tempore, quo juvenes matrimonium inire parant; hoc quoque curriculo in salutem animarum usi scientiam sponsorum, quam in scholis sibi comparaverant, periclitando, obscura declarando, obligationes Parentum erga proles mansuete una et graviter iisdem inculcando, voti compotes fietis, atque in dies plures numerabitis Patres ac Matresfamilias, quibus proba prolium suarum educatione nihil erit antiquius, qui inter praecipua lucra numerabunt sumus in prolium suarum scholarem institutionem erogatos, qui ad propagandam, stabiliendamve in Parochia pietatem et christianae Religionis consentaneam morum probitatem Vobis dextras jungent.

Haec legentium mentem abs dubio subit cogitatio: quo tandem hoc longum dirigitur exordium? an non in plerisque hujus Dioecesis Parochiis a proliis scholae frequentantur? numquid sacri Curiones hactenus Officio docendarum in scholis prolium defuerunt, aut in posterum plane Ludimagistrorum vice fungi debebunt? quid potuit huc excitationi ansam praebere? Libenter palam profiteor in multis hujus Dioecesis Parochiis occasione Canonicae Visitationis me peculiari cum solatio tentamini scholarum prolium adfuisse, et earum progressum laudasse; ast non paucas quoque numerari in hac Dioecesi Parochias, in quibus debita scholasticus institutio desideratur, nihilque esse humani operis, quod semper magis perfici non posset, aut non deberet; haec pariter omnibus constant. Absit autem quam longissime ut Ludimagistri, quos plures cuperem, tollantur. Eapropter de hoc argumento nobilissimo ad Vos litteras mittere jam meditati opportunissime redditum est Benignum Mandatum, quo singuli Vice-Archi-Diaconi intra Districtum suum nationalium scholarum Inspectores clementer nominantur, atque una ab Episcopo methodum explendi hujus muneris edoceri jubentur; quod uberius quisque vestrum intelliget e tenore apographi sequentis 12811. Illustris plurimum Reverende Excellentissime, Illustrissime et Rdissime Bap, ac Episcopo, Amice charissime, Domine nobis observandissime! Suam Majestatem Sacratissimam clementer resolvere dignatam esse: ut ad restabiliendum in Scholis nationalibus, rectaque tenerae Juventutis educatione debitum ordinem, ejusque manutentionem, ac observantiam praescriptarum pene easdem scholas, et Doctrinae Instituta ordinationum, functionis Inspectoratus scholarum nationalium Vice-Archi-Diaconis sub manu ductione Superioris sudiorum Directoris perficiendae deferantur; Excellentiae Vestrae pro directione, ac respectu Vice-Archi-Diaconum suos Districtus caeteroquin visitare obligatorum edoctione, desiderataque invitatione hisce notum redditur. Datum ex Consilio Regio Locumtenentiali Hungarico Budae die decima May Anno millesimo Octingentesimo primo celebrato. Illustris plurimum Revaerendae, Excellentissimae, Illmae ac Reverendissimae Dominationis Vestrae ac Officia paratus paratissimi Comes Fidelis Pálffy m. p. Joannes Szobovits m. p.

His Benignis Jussis quam accuratissime satisfactorius e re futurum censui summam omnium in hodiernam de scholis vernaculis dimissorum Regionum decretorum Vobis ob oculos ponere, et mea quoque vota addere, citatione ne lectionem impediatur, in contextu solummodo indicata, et ad calcem translata. Sic uno obtutu perspicient et sacri Curiones et Vice-Archi-Diaconi una Inspectores, quid ad promovendum prolium in vernaculis scholis profectum conferre debeant, ut convicantur se partes suas explevisse.

Tota praesens materiae sequentia capita revocari potest:

- A) Ubi schola vernacula aperienda?
- B) Quis obligatur aptum edificium struere et conservare?
- C) Per quos et qualis Ludimagistro addicenda remuneratio?
- D) Ubi conducendus etiam praceptor quam et a quo mercedem accepturus?
- E) Quae objecta in vernaculis Scholis tradenda, quisve ordo observandus?
- F) Quae dotes requiruntur in Ludimagistro, et qua ratione ad officium assumendus vel dimitendus seu Ludimagister, an Praceptor?
- G) Qua ratione Parentes permendi, ut proles suas ad scholas mittant?
- H) Quae partes Ludimagistri in scholis?
- I) Quid scholasticus juventuti praestare debeant Parochi, et Cooperatores?
- K) Quid pertinet ad munus Inspectorum, quo in posterum Vice-Archi-Diaconi fungentur? Sit itaque:

I.

CAPUT

Ubi vernacula Schola aperienda?

§. 1. In Locis, ubi Parochus fundatus est, schola aperiatur; quin imo etiam in filiabus matri Ecclesiae junctis, in quibus proles frequentandarum scholarum capaces quinquaginta reperiuntur. a)

§. 2. Ubicunque Magistro sufficiens remuneratio addicitur, etiam si memorato numero pauciores forent scholis idoneae proles, ludus litterarius habeatur. b)

§. 3. Quia complura sunt in hac Dioecesi praedia, in quibus sicut incolae ita proles complures numerantur, quae scholas adeundi occasione destitutae pecorum instar excrescunt; maximum coram Deo et hominibus meritum sibi comparabunt sacri Curiones et Vice-Archi-Diaconi, qui Dominis praediorum persvaserint Scholae erectionem, et Magistri introductionem.

§. 4. Sicubi propter paucitatem Catholicorum incolarum magister conducere nequiret, Scholae autem alterius Religionis adessent, has lectionis, scriptionis, atque Arithmeticae condiscendae causa Catholicis prolibus adire licebit ita tamen: ut praevie haec parentum intentio Catholico Parocho significetur, neque integrum sit Ministris alterius Religionis absque scitu Catholici Parochi Catholicas proles ad suas scholas admittere; — Catholicus Parochus hujus modi proles peculiariter in Doctrina Catholicae Religionis instituat, et ad divinum cultum Catholicae Ecclesiae frequentandum stringat; — occasione praelectionum et examinum e Doctrina Religionis in Scholis A catholicis instituendarum Catholicae proles a Schola dimittantur, et non modo ad participationem Coenae aut Sacrae, sed neque ad Oratorium admittantur: si enim per id Catholicam prolem a Fide deficere contigerit, hujus mandati transgressores poenae allectorum ad sensum art. 26. 1791. semet obnoxios reddent. c)

II.

CAPUT.

Quis obligatur aptum pro Schola aedificium struere, et conservare?

§. 1. Fundum sufficientem pro Scholaribus aedibus erigendis DD. Possessores abs dubio nunquam negabunt.

§. 2. Novarum aedium Scholarium erectio generatim ipsis Communitatibus suapte incumbit; quodsi vero hae paupertate testimonio Judicis nobilium comprobanda prohiberentur suis viribus praestare totum: Domini Terrestres materiam et sumtus subministrabant, Communitatis autem manuum operas, ac vecturas praestabunt, et requisitam Scholarem supellectilem comparabunt. d)

§. 3. Sicubi Communitas distinctam pro usu suo silvam habet, ex hac aedilia ligna promenda erunt. e)

§. 4. Ut moralitati et sanitati noxia coarctatio prolium evitetur: Scholae numero Juventutis respondeant est necesse; magister autem ubique distinctum a Scholae cubili hospitium habeat, ne occupationes oeconomicae institutionem juventutis turbent. f)

§. 5. Conservatio et reparatio Scholarium aedium citra concursum terrestri Dominii incumbet Communitatibus illis, quae haec aedificia citra acceptum subsidium erexerunt; egenae tamen Communitates quoad majoris momenti reparationes materia ac expensis a terrestri Dominio juvabuntur, onere operarum et vecturarum perficiendarum Communitates manente. g)

§. 6. Justum est: ut Filiae proprio Magistro destitutae pro mensura usus, quem Scholae in matre Ecclesia capiunt, tam ad erectionem quam conservationem Scholarium aedium concurrant; secus ab hoc onere immunes erunt.

§. 7. Sicubi Catholici cum A catholicis communes Scholae erigerent, ad has tam aedificandas, quam conservandas utraque Communitas proportionem observata operas et vecturas praestare debet. h)

1 *

a) 27. Nov. 1795. Nro. 24567. — 23. Jun. 1802. Nro. 13.493.

b) 23. Jun. 1802. Nro. 13493.

c) 5. Dec. 1798. Nro. 28643. — 16. Sept. 1793. Nro. 24284.

d) 27. Nov. 1795. Nro. 24567.

e) Idem.

f) Idem, et 25. Jun. 1811. Nro. 15840.

g) 27. Nov. 1795. Nro. 24567.

h) 10. Mart. 1789. Nro. 8650.

§. 8. Ubicunque sumtus adfuerint, tam pueri quam puellae separatim Scholare cubile habeant.

§. 9. Quum Ludimagister culina, penu, stabulo, atque fundi totius cinctura carere nequeat; ad haec quoque struenda, et restauranda pertinent hactenus memorata.

§. 10. Si propter paupertatem Communitatis distinctum Scholare cubile erigi haud posset, templum autem vel sacellum in loco praesto esset; in sacra aede doceatur juvenus mensibus illis, quibus frigus obicem non ponit.

§. 11. Quum desiderari nequeat: ut amplorum Bonorum possessores eodem anno pluribus in locis pauperioribus Communitatibus materiam et sumtus pro erigendis Scholaribus aedibus suppeditent; Parochi et Vice-Archi-Diaconi perhumanis precibus suis singulis annis in hujusmodi Dominiis unius saltem Scholaris Domus aedificationem impetrare conabuntur.

III CAPUT

Per quos, et qualis Remuneratio Ludimagistro addicenda?

§. 1. Quum obligationem debite educandorum Liberorum Parentibus ipsa natura imposuerit; Communitates singulae obstrictae sunt Ludimagistrum quoque dotare. Quodsi nihilominus nonnullae miseriae Communitates integram magistro suo dotem praestare non possent; tunc eadem ad majorem saltem partem administrandam stringendae erunt, minor autem pars per Terrestres Dominos supplebitur. Filiae proprio magistro carentes pro dote magistri in Matre concurrent, per quem proles suas erudiendas curabunt. i)

§. 2. Remuneratio Magistri partim in aere, partim in rebus ad victum necessariis stabilienda ita: ut annuos centum viginti fluos monetae Conventionalis semper adaequet; praeterea vero pro alendis duobus vaccis pascuum, et hiemale pabulum eidem adsignetur. k)

§. 3. Minerval a prolibus Scholas frequentantibus nullum exigatur. l)

§. 4. Illis in Locis, ubi ad Dorem Magistri fundi immobiles agri et prata imputantur; hos colere, fruges metere, grana secare, fruges, foenum cordum invehere Communitas obligatur. m)

§. 5. Ligna ad focum, et calefactionem etiam Scholaris cubilis necessaria Dominium, Communitate autem distinctam silvam habente haec, suppeditabit, sectionem vero ac vecturam semper populus praestabit. Quodsi ob defectum silvae ligna adsignari nequirent, his arundinis aut straminis requisita quantitas substituatur. n)

§. 6. Dos Magistris finis 120 M. C. major pridem addicta porroquoque integra cedat. o)

§. 7. Ubi Remuneratio Ludimagistrorum decreto Canonicae Visitationis per legale Testimonium subscripto roborata est; novam de minori mercede cum conducendo Magistro conventionem inire non licebit. Sicubi vero antiquae Scholae magistro major remuneratio seu a Dominio, seu a Communitate in perpetuum donaretur, aut nova Schola erecta novi etiam Magistri dos stabilienda foret, Contractus praesentibus Comitatus Testimonio, Officiali Domini, Senioribus Communitatis, Parocho qua Directore, et Vice-Archi-Diacono quaInspectore continendus, atque subscriptione, sigillisque omnium nominatorum munita quinque exempla exaranda erunt, quorum alterum Communitati, alterum Dominio tradendum, tertium Regiae Superiori Studiorum Directioni, quartum Officio Dioecesana, quintum Excelso Consilio Locumtenentiali Regio Hungarico submitendum erit. p)

§. 8. Ubicunque Filiarum Communitates distinctum Ludimagistrum vellent introducere ea lege: ut ab obligatione concurrenti ad remunerationem Ludimagistri in matre absolvantur; huic desiderio tunc tantum praevie obtento consensu Officii Dioecesani satisfieri poterit: si fungens Ludimagister in matre parti reddituum a filia administratorum sponte renuntiaverit, aut obierit, vel aliorum migraverit, — item dotem finorum 120 M. C. tam in matre Ludimagistro mansuram, quam in filia addictam esse constiterit.

IV CAPUT

Ubi conducendus etiam Praeceptor, quam et a quo mercedem accepturus?

§. 1. Remuneratio Praeceptoris praeter hospitium in Scholari domo, et victum ad mensam Ludimagistri erunt annui finis viginti quinque M. C. Hinc

i) 27. Nov. 1795. Nro. 24567.

k) l) m) n) o) Idem.

p) 27. Nov. 1795. Nro. 24567.

§. 2. Ubiunque in scholari aedificio etiam pro habitatione Praeceptoris sufficiens spatium adest; — Ludimagister tantos redditus habet, ut victum atque memoratam mercedem praestare Praeceptoris valeat; — multitudo scholaris Juventutis Praeceptoris operam requirit; Ludimagistro invito licet Praeceptor adjungi debet.

§. 3. Quodsi aut Dominium aut Communitas absque onere Ludimagistri Praeceptoris foundationem addiceret; haec ratione supradicta contractu firmetur oportet.

V.

CAPUT.

Quae objecta in vernaculis Scholis tradenda, quisve ordo observandus?

§. 1. In his Scholis doceantur proles: Catholicam religionem, hujusque tam Fidei Capita, quam morum praecepta cum brevi historia Biblica; expedite legere vernaculis lingvis in Parochia vigentibus, pueri autem ad latinas scholas transituri etiam latine; — emendate scribere iisdem lingvis; — linguam Ungaricam, ubi haec nota non est; — Arithmeticae elementa cum regula trium et societatis atque adplicatione ad oeconomiam, et commercia rustica.

§. 2. Libri pro his objectis typis Regiae Universitatis procusi sunt, quorum causa uniformis institutionis usus fiat.

§. 3. Quia libro sacram Historiam complectenti nonnulla inserta sunt, quae obscaenis cogitationibus ansam praebent, et verecundiam parvulorum cautissime custodiendam offendunt: idcirco haec capita praevis cerussa signanda, nec unquam scholari juventuti proponenda erunt; imo nec jubeantur Parentes hunc librum emere, sed solummodo ex auditu explicationis condiscant parvuli selecta capita, donec alter liber aptior editus fuerit.

§. 4. Doctrina Religionis per Ludirectores tradatur e recepto normali catechismo; — explicabitur autem uberius e libro, quem singulis hujus Dioecesis Sacerdotibus usque calendis octobris, si vixero, missurus sum.

§. 5. Annus Scholasticus inchoabitur solemnibus invocatione Sancti Spiritus, nempe celebrando solenni Sacrificio, et cantu hymni: Veni Sancte Spiritus calendis Septembris, et durabit usque finem Junii, ubi autem vineae sunt, feriis addentur duae septimanae vitiandae impendendae mense Septembri vel Octobri. — Mane singulis profestis diebus, nulla recreationis titulo demta, ab hora octava ad decimam, a meridie autem a secunda ad quartam erudiantur proles, utque debito tempore se sistere possint, campanula per communitatem comparanda media hora citius signum detur. — Tam mane, quam a meridie initium fiat a precibus, et clara voce devote recitentur Oratio Domini, Salutatio Angelica, Symbolum Apostolorum, decem praecepta Dei, quinque praecepta Ecclesiae, septem sacramenta, et confessio generalis; dein perlegatur Catalogus, et absentes notentur; porro ab octava ad nonam semper doctrina Religionis cum sacra Historia, ab hora nona ad decimam Lectio, a secunda ad tertiam alternis vicibus jam Arithmetica, jam lingua Ungarica, aut si omnes linguam Ungaricam callerent, sola Arithmetica, et a tertia ad quartam scriptio doceantur. — In locis ubi sacrificium Missae decima hora celebratur, huic die adsit scholaris juvenus, — secus mensibus aestivis, si septima hora foret moris sacris operari, ad haec compareant scholares, ideoque dato in Turri signo domo movere, et ad scholam venire jubeantur inde una Templum ingressurae. — Diebus Domini et Festis integra hora ante divinum cultum tam mane quam a meridie in cantu sacrorum hymnorum exerceatur juvenus praevis pariter signo campanulae ad scholam convocanda. — Ultima septimana mensis Januarii, et Junii publica sollemnia tentamina instituentur, et solenni in templo gratiarum actione scilicet solenni Missae Sacrificio, et cantu hymni Te Deum laudamus! annus scholasticus concludetur.

§. 6. Quod si e memoratis objectis quodpiam citius ceteris terminaretur, liberum erit hora hujusmodi objecto destinata aliud, quod nondum absolutum est, substituere. — In schola summum silentium observare, modeste sedere, et diligenter adtendere asvescant proles; petulantes vero, et negligentes moneantur, sed nunquam seu caedantur seu alteri corporali poenae subjiciantur.

VI.

CAPUT

Quae dotes in Ludimagistro repraesentantur, qua ratione adsumendi ac dimittendi tam Ludirectores quam Praeceptores.

§. 1. Calendis Januarii inchoabitur Quinquagesima Ecclesiis Schola Praeparandorum ad Magisterium in vernaculis scholis gerendum, cujus Docentes e redditibus Episcopalibus honorarium accepturi sunt; atque ideo ab Exordio anni imminenti nemo Ludimagistri Officium

consequi poterit, nisi prius hic methodum docendi sibi familiarem reddiderit, et datis specimenibus approbationis testimonium meruerit. q)

§. 2. Causa inducendae quo ocyus uniformis parrulorum in scholis vernaculis institutionis singulis Ludimagistris nunc fungentibus svadeatur: ut saltem pro aliquot septimanis, dum ipsis maxime opportunum fuerit, huc compareant, et praelectiones audiant novo tentamini haud subji- ciendi. Quodsi attamen nonnulli ad munus explendum minus idonei reperirentur, hi sub poena di- missionis, quod neglexerunt, supplere, et Testimonium adprobationis mereri jubeantur. Porro

§. 3. Nemo deinceps Ludimagister eligi poterit, nisi prius per Vice-Archi-Diaconum Di- strictus, in quo degit, e Doctrina Religionis examinatus, et pro habili adinventus fuerit; cui obligationi satisfactum esse testimonialibus Vice-Archi-Diaconi literis demonstrabitur. r)

§. 4. Quicumque Magistrum agere cupit, ungaricae linguae bene gnarus sit oportet.

§. 5. Praeter sufficientem scientiam, et notitiam linguarum in Parochia, ubi quis Do- centis officium obire desiderat, vigentium requiritur in Ludimagistro probi mores; hinc gra- vioris publice noti criminis convictus Ludimagistri stationem nec obtinere, nec retinere poterit

§. 6. Electio Ludimagistri etiam paedagogico et V. A. Diaconi de responsis e Doctrina Religionis depromtis testimonio producto tunc solummodo robur consequetur; dum Parochi qua Directoris localis, et Vice-Archi-Diaconi qua Inspectoris consensus accesserit. r) Nihil- ominus electio haec illis salva manet, a quibus magister remunerationem percipit. s)

§. 7. Eadem ratione qua Magister suscipitur, etiam indignus, aut inhabilis dimittetur.

§. 8. Praeceptorem solummodo Ludimagister conducet cum consensu Parochi, nisi sepa- ratam a Dominio vel Communitate mercedem acciperet; tunc enim horum quoque adsensus accedat est necesse. Pari modo, dum adjuncta postulaverint, Praeceptor officio privabitur.

VII. CAPUT

De obligatione Parentibus feliciter persuadenda, ut proles diligenter ad scholas mittant.

§. 1. In Locis, ubi praeter vernaculas scholas Catholicorum etiam Augustanae vel Hel- veticae Confessioni addictorum, aut Graeci ritus non unitorum scholae existunt; juventutem Catholicam utriusque sexus ad scholas alterius Religionis recipere vetitum est sub multa 12 florenorum recipienti Ludimagistro irroganda, et pro casu ulterioris renitentiae etiam du- plicanda. Idcirco his in locis Catholicae proles tantum nostrae Religionis scholas frequenta- re jubeantur, omnisque conatus adhibeatur; ut profectus prolium in his scholis inferior non sit, atque in Ludo alterius Religionis.

§. 2. Ad promovendam Juventutis institutionem, ne haec pascendis pecoribus occupa- tur, ubivis locorum communes Pastores conducantur. t)

§. 3. Siquidem experientia doceat jam quinque annorum proles institutionis capaces es- se, et usque octavum aetatis annum proles laboribus, qui corpus fatigant, onerari neque- ant; quinto aetatis anno completo prolium institutio in scholis inchoanda erit.

§. 4. Singulis annis mensis Novembris secundo die Domini peculiaris de obligatione debite educandarum prolium Parentibus incumbente, nec non utilitate ac necessitate scho- larum sacer sermo ad concionem dicatur.

§. 5. Pro quovis objecto signum distinctionis comparetur, quod in fascia sericea pen- dens in pectore gestent ii, qui eminuerint.

§. 6. Ad publica tentamina quovis Semestri Parentes praevie Examen praecedente die Domini post terminatam sacram Exhortationem invitentur: ut testes sint progressus per proles, quae scholas diligenter frequentarunt, facti.

§. 7. Pari ratione praevie invitatis Parentibus die ultima scholastici anni, quo solem- nes gratiae Deo agentur, post cultum divinum in Templo perlegatur absentiarum consig- natio, dein e singulis objectis Classificatio; laudentur et quopiam praemio donentur dili- gentes, atque ad horum vestigia sequenda excitentur negligentes.

§. 8. Proles institutionis capaces, quae objecta in his scholis tradi solita nondum con- didicerunt, aestivo etiam tempore, nisi per Parentes inevitabili labore occuparentur, ad frequentandam scholam stringantur; contra Parentum pervicaciam autem, si necessarium fu- erit, etiam Magistratualis auctoritas interpelletur. u)

§. 9. Generatim omnes Parentes proles suas pro addiscenda Religionis et bonorum mo- rum doctrina ad Parochum (seu scholas, ubi adsunt) mittere sub poena per civilem Ju- risdictionem irroganda cogantur; ideoque hac in parte desides Parentes civili Jurisdictio- ni denuncientur. v)

q.) 18. Sept. 1795. Nro. 18.884.

r.) 27 Febr. 1816 Nro. 5710.

s.) 22. Aug. 1799. Nro. 19247.

t.) 19. April. 1796. Nro. 7679. et 25. Juni. 1811. Nro. 15840.

u.) 16. Mart. 1813. Nro. 3424.

v.) 23. Junii 1802. Nro. 13395.

VIII.

C A P U T.

Quae partes Ludimagistrorum quoad scholarem Juventutem

§. 1. Ludimagister quilibet, antequam docere incipiat, die Domini vel Festo Evangelii cantu terminato, tacto libro Evangeliorum, quem Parochus tenebit, eliciat Professionem Fidei Catholicae a Pio IV. editam lingua vernacula, et tunc una per Parochum breviter eidem partes officii recenseantur, sedulove explendae injungantur, populo etiam monito; ut absque tergiversatione magistro praestet, quod seu Contractu seu occasione Canonicae Visitationis illi addictum est.

§. 2. Officium Magistri a munere Notarii et campanatoris cumprimis in majoribus Communitatibus separetur; in casu tamen illo, ubi praeter Magistrum distinctus etiam Praeceptor esset, Communitas vero separatim Notarium remunerare nequiret, officium Praeceptoris cum notariatu jungatur, demtis locis illis, ubi major pars Incolarum Catholicam Religionem haud profitentium Aatholicum Notarium deligeret. w)

§. 3. Ubi numerus Populi tantus est: ut Cantor una organedus distinctus conduci possit; ibi Magistro pueros, cantori vero puellas docere incumbet. w)

§. 4. Horas praescriptas in scholis exigant; nisi alia ad officium eorum pertinente functione — vel infirmitate adesse prohiberentur; ne tamen vel iisdem absentibus institutio negligatur, ubi Praeceptor aut sacer Curio Ludimagistrum impeditum supplere nequit, nonnullos felicioris ingenii adolescentes peculiariter doceant: ut iis, dum necessitas emergerit, scholas ad tempus concedere valeant.

§. 5. Dominium Terrestrale, Vice-Archi-Diaconum, Parochum, Primores Communitatis revereantur, nihil unquam contra hos seu in scholis seu alibi proferant.

§. 6. Ab omnibus blasphemis et obseanis verbis, scomatibus, et aditu popinarum prorsus abstineant. Quodsi causa tenuis remunerationis musica sibi quidpiam mereri cogentur, nunquam ultra signum pro quiete datum domo abesse praesumant.

§. 7. Doctrinam Religionis tantummodo e praescripto normali Catechismo proponent.

§. 8. Ordinem supra Cap. V. recensitum adcuratissime observabunt.

IX.

C A P U T

Quid Scholis trivialibus praestare debeant Parochi, et Cooperatores.

§. 1. Directio scholarum nationalium, demtis capitalibus, quales esse solent in Civitatibus, aut majoribus oppidis, Parochis Locorum non solum competit, sed et incumbit. x) Integrum tamen manet Dioecesanis in Scholis his nationalibus non secus, ac quoad totum curae suae pastoralis concedit gregem doctrinae Religionis, et Morum navigare. y)

§. 2. Quum cautum sit, ne seu tyrones opificum in numerum sodalium recipiantur, seu sponsi ad matrimonium admittantur: donec in doctrina Religionis et Morum rite instructi examen subiverint, et Parochi adprobationem meruerint; Parochorum munus est hoc optatissimo Regio mandato uti tam ad persuadendum Parentibus: ut proles suas ad Scholas mittant, — quam ad defectum e neglecta frequentatione Scholarum ortam supplendum. z)

§. 3. Quum Institutio Juventutis in principiis Fidei et Morum solis duntaxat Magistris concedi nequeat, hocve officium tam in Templo, quam in Schola irremisso zelo explendum ad praecipua Sacerdotum munia pertineat; in omnibus Scholis nationalibus seu Capitalibus seu Trivialibus, ubicunque sufficiens Fundatio pro distincti Catechetae remuneratione non existit, Parochi aut ipsi aut per Cooperatores suos praescriptis horis Doctrinam Religionis citra ullum stipendium hoc titulo percipiendum explicare obligantur. aa)

§. 4. Parochi Directorum in Scholis vernaculis officio fungentes quovis Semestri Informationem secundum adnexam formulam sub AA. terminato publico examine Vice-Archi-Diaconis qua Inspectoribus in duplici exemplo mittent Portorii immunes futuri. bb)

w) 27. Nov. 1795. Nro. 24567.

x) 26. Mart. 1817. Nro. 8614. — 12. Jan. 1796. Nro. 770.

y) 17. Mart. 1802. Nro. 5050.

z) 25. Jun. 1811. Nro. 15840.

aa) 3. Febr. 1792. Nro. 21653. — 9. Mart. 1802. Nro. 5040. — 12. Nov. 1805. Nro. 26200.

bb) 1. Oct. 1790. Nro. 23423. — 17. Febr. 1793. Nro. 1435. — 16. Mart. 1813. N. 3424.

28. Aug. 1795. Nro. 17248.

§. 5. Peculiarem curam habebunt prolium earum, quae propter defectum Scholae Catholicae Scholas alterius Religionis frequentare coguntur: ut divino cultui diebus Festis et Domini in Catholico Templo adsint, ab oratorio alterius Religionis arceantur, explicationi doctrinae Religionis in acatholica Schola interesse non admittantur, statutis diebus pro audienda institutione in Religione Catholica se sistant. Quodsi aut allectionis ad alteram Religionem periculum observarent, aut sollicitudini memoratae obices ponerentur, sine mora Officio Dioecesano Relationem praestabunt fide dignis documentis fultam. cc)

§. 6. Non tantum his qualibet septimana doctrinam Religionis in Scholis vernaculis explicabunt, sed praeterea saepius scholas visitabunt; Ludimagistrum docentem audient, et defectus nefors observati emendandi modum eidem privatim declarabunt, ac injungent; etiam citra publicum tentamen frequentius periculum progressus instituent.

§. 7. Signa distinctionis per decursum anni gerenda, — et nonnulla proemia eminentibus occasione publici tentaminis distribuenda proprio aere comparabunt optato effectu non caritura. Velint etiam singuli quidpiam in tabulis ultimae voluntatis ad emendos pauperibus libros vel comparanda proemia aut remunerationem Ludimagistri Praeceptorisve augendam destinare.

§. 8. Ad pagos et praedia, ubi nullae scholae sunt, quolibet die Lunae, nisi grave tunc impedimentum alium diem deligendum svaderet, excurrant Parochi aut Cooperatores, atque ibi congregatam Juventutem in Doctrina Religionis erudiant.

§. 9. In Parochiis illis, ubi, magnus licet sit Catholicorum Incolarum numerus, in hodiernum tamen scholae nullae, nec Ludimagister, Parochi omnem adhibeant conatum; ut grandi huic defectui medela feratur. Perhumanis precibus Domini opem implorent, hortentur populum, ipsi exemplo praeceant, et quampiam redituum partem huic pio fini sacrent, in tabulis etiam ultimae voluntatis aperiendae scholae memores sint. Donec autem mox memoratus effectus secutus fuerit, singulis profestis diebus duabus horis a meridie parvulos suae Parochiae in domo Parochiali, aut frigore cessante in Templo congregatos omnia illa doceant, quae in vernaculis trivialibus scholis proponi debent; ut sic adminus Campanatores, qui coloni esse solent, tales in posterum assumi possint, qui etiam Ludimagistri officio fungi valeant. Haec occupatio Parochorum auctoritate non modo nihil derogabit, sed potius majorem aestimationem conciliabit, et populum iisdem summopere devinciet. Ubi autem Campanator ad docendam scholam aptus conducere poterit, huic etiam officium magistri explendum injungi debet.

X.

CAPUT

De Officio Vice-Archi-Diaconorum qua Inspectorum quoad Scholas.

§. 1. Quotiescunque intra Districtum ad Parochias cujuscunque functionis causa excurrerint, semper una scholam visitabunt, et tam idoneitatem Magistri, quam profectum Juventutis experiri non intermittent.

§. 2. Peculiariter periclitabuntur et habilitatem Docentis et progressum scholarium singulis annis mense Novembri, dum causa Rationum de redditibus Templorum reddituum examinandarum ac signandarum ad quamlibet Parochiam comparere debent.

§. 3. Informationis quolibet semestri a Parochis qua Directoribus concinendae propria etiam manu signatum alterum exemplum Officio Dioecesano, alterum Superiori Studiorum Directioni Jaurinensi aut Zagrabiensi mittent, cujus ultimae columnae suas quoque observationes inserent praepriis de speciminibus occasione visitationis scholarum datis.

§. 4. Superioris Studiorum Directionis mandata cum iis, ad quos adtinent, communicabunt.

§. 5. Distinctum habebunt Protocolum, cui omnia ad rem litterariam pertinentia acta, item functiones causa scholarum susceptas diligenter inscribent; praeterea etiam acta in negotiis scholasticis exhibita secundum materiam ad fasciculos disposita conservabunt.

§. 6. Secundum supra sub bb. ultimo loco citatum Regium Decretum a litteris Superiori Studiorum Directioni mittendis portorium publici cursoris non solvent, ideoque in volucro epistolarum titulo addent voces: *In negotio Studiorum.*

Haec sunt, quae de hoc argumento Vobis in memoriam revocanda, commendanda, et si opus foret, injungenda quoque censui, vehementer gratulaturus: si magnae de parvulorum institutione toties manifestatae Apostolici Regis nostri sollicitudini, atque ad hunc finem certius consequendum peculiari in Sacrorum ministris locatae fiduciae, — si Divini Magistri nostri operam debita, tantomagis autem religiosae, parvulorum educationi im-

pensam sibi navari adfirmantis expectationi et mandatis Vos omni possibili conatu respondere expertus fuero; dum Dioecesis Visitationem cujus in futurum solummodo Sacramenti Confirmationis dispensatio, et scholarium prolium examina objecta erunt, iterare mihi licuit.

Scio ecquidem perbene puerilis aetatis formandae ac docendae provinciam haud facilem esse, — doctorem dum pueris puer fieri cogitur, saepe toedio affici, — optatum progressum urgeatur licet, multis obicibus impediti; verum quis unquam arator sine sudore messuit? quis miles sine pugna victoriae reportatae laudem obtinuit? quis Apostolorum luctamina fugit? Abs dubio tunc communi saluti optime prospectum erit, si quisque in Statione, quam ei Divina Providentia designavit, omnes muneris sui partes ad amussim explere adnitus fuerit. Maxima sine minimis nec exurgere, nec durare possunt; probos Christianos solummodo et tempestive bene eruditis parvulis prudenter sperare licet; Ruricola maximam civium classem constituunt; idcirco hos erudire non vilis, sed maximi momenti et meriti occupatio est. Sed ad magna proemia pervenire sine magnis laboribus non conceditur; jam vero non mea, sed aeternae Veritatis est vox illa: Docete omnes gentes! — qui ad Justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellae in perpetuas aeternitates; — qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in Regno Caelorum. Haec et merita et proemia Vobis omnibus a Deo Largitore bonorum omnium sincere precor! Gratia Domini nostri Jesu Christi cum Spiritu Vestro Fratres! Quinque Ecclesiis Idibus Julii Anno Christi Millesimo Octingentesimo Trigesimo Primo.

Ignatius Episcopus

PEL

Georgius Antap
Secretarius & cancellarius Director

Handwritten notes at top right, including "Handlung?" and "Hilfsbuch".

Handwritten text: "AA. Enneung".

I N F O R M A T I O

De Vernacula Schola pro 1º (vel) 2º Semestri Anni 1831.

Schola Locus, et Qualitas	Comita- tus et Dioce- sis	Localis Director	Valley Cota cheta	Baron stei	Ej us de m	Numerus Frequen- tium	Nobles Militares Plebem Religiosos Sacerdotes	Successi- ve eman- sere, et se impen- dere.	Quae Ob- iecta, et qua Lingua tra- dita.	Quis Pro- gressus	Observationes						
Oppidum	Toluenensis	N. N.	Idem	N. N.	Boni	Latina	Exempli	Gratias	20	2	18	12	6	2	Clarum est,	Pariter	Hic adnotandi locus erit: num, ubi et quid circa Scholam adoptatum Sta- tum ponendam adhuc a- gendum judicetur.
Hogyész	Quinque- Ecclesien- sis	Parochus	N. N. vel Coope- rator	N. N. Paece- ptor	Comoda	Hungarica v Germanica v Illyrica	8	Hunc omnes Proles ad Scholam compa- rentes ingredi debent,	20	2	18	12	6	2	Clarum est,	Pariter	Relatio etiam brevis de Visitatione annua per Vi- ce-Archi-Diaconum qua In- spectorem peracta huc in- serenda.
Trivialis																	

N. N. Vice-Archi-Diaconus

qua Director.

N. N. Parochus qua Catecheta et Director
N. N. Cooperator qua Catecheta
N. N. Ludimagister

Handwritten calculations:
1836 24.
1837. 35.
1838 24.
1839 45.

Handwritten note: 2 2 2 2 2

Reverende Paroche!

Quamquam sola sana ratio cuilibet adfatim persvadere valeat operibus misericordiae nihil DEO communi omnium hominum amantissimo Patri gratius, nihil humanae societati utilius frequentari; attamen causa certioris effectus etiam in sacris utriusque Foederis paginis haec opera peculiariter celebrantur, his divinus Magister nosier imprimis aeterna proemia pollicetur exercitis, poenas semper duraturas minatur neglectis. Ast, si levandae afflictorum hominum sorti divina Providentia singulos ditiores partem suarum facultatum saerare jubet; Evangelii Praecones, fidelis populi Doctores, Lucernae ad candelabrum non frustra positae exemplo praeluceant oportet vel maxime tunc: dum ad publica hujusmodi Instituta pia munificentia implo-
ratur.

Siqui commiseratione digni sunt, sunt profecto illi: qui vivunt, quin vel locum videre possint, in quo vitam ducunt. Ad horum solatium, et auxilium Pestini ante paucos annos pium Institutum feliciter quidem inchoatum est, sed jam penuria sumtuum laborat. Idcirco Excelsum Consilium Locumtenentiale Regium Ungaricum piam liberalitatem praecipue Cleri ad ferendam nutanti Instituto opem provocare suae esse obligationis censuit Benigno -Gratioso Intimato sequentis tenoris:

Illustris, plurimum Reverende, Excellentissime, Illustrissime et Rdssimae Baro, ac Episcopo, Amice charissime, Domine nobis observandissime! 14,250. Cum provocatio de dato 17-mae Julii 1827. Nro. 18589. circa sublevandum, et constabiliendum coecorum Institutum dimissa, etsi effectu, qui intendebatur, non careat, idem Institutum patienti Humanitati non modicam consolationem praebens, tamen illam hucdum hand praebuerit consolidationem, ut ex Oblatis hucdum influentibus, stabilis ejusdem Instituti conservatio, minus vero adhuc necessitatibus Regni commensurata extensio fundate sperari possit; Hinc Consilium hoc Locumtenentiale Regium ad muneris sui Partes pertinere convincitur: ut attentionem non minus, ac generosum Regnicolarum animum penes moderni hujus Instituti inde a quinque annis Pestini erecti, Status, et ejusdem coordinationis plani communicationem iteratim ad conferendas symbolas impensius provocet. — E submisso enim per Deputationem coecorum Instituti, negotia ejusdem Instituti sub Praesidio Ord. Vice Comitatus Comitatus Pestiensis pertractantem, elaborato Statu activo, et passivo liquet; fundum hujus Instituti nonnisi e 16,500 flor. M. C. Capitali, quod 990 fl. annua Interesuria infert, consistere. His accedit oblatum annuum 288 fl. pro duabus puellis factum, ita ut cuncti fixi proventus nonnisi 1278 fl. efficiant, cum e converso erogationes annuae non obstante omni possibili adhibita parsimonia in flor. 1987. C. M. subsistant.

Pro eo itaque, ut saluberrimum hocce Institutum stabiliori, ac solidiori Basi superstrui, et qua Institutum Regnicolare constabiliri valeat, ne idem pro casu defectus fundi, illud, cujus erectio generosae Hungarae Nationis indoli, et necessitati, ac gloriae Regni maxime correspondet, in incunabulis jam corruat, Regium hoc Consilium Locumtenentiale Excellentiam Vestram hisce quam impensissime provocandam esse duxit: ut pro sua publica patienti Humanitati alleviamen praebentia Instituta promovendi promptitudine, omni virium contentione cooperari satagat, quo idem Institutum per offerenda charitativa subsidia proximae Cassae Politico-Fundationali inferenda, ad talem perducere valeat Statum, qui stabilitatem ejus adpromittere valeat, et omni ex parte se manifestanti necessitati parte adminus in aliqua correspondeat.

Ceterum Consilium hoc Locumtenentiale Regium Excellentiam Vestram una edocendam habet: quod cuicunque Jurisdictioni, aut privatae Personae tam generosum oblatum facienti, ut ex illo adminus 150 floreni C. Mon. annui titulo Internusurii proveniant, sive capitale hoc statim exolvatur, sive solummodo securisetur, Jus Praesentiae unius Individui ad Institutum hoc competat. Datum ex Consilio Regio Locumtenentiale Hungarico Budae die trigesima prima Mensis Maii Anno Millesimo Octingentesimo Trigesimo Primo celebrato. Illustris plurimum Reverendae, Excellentissimae, Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationis Vestrae ad Officia paratus paratissimi Comes Fidelis Pálffy m. p. Franciscus Tressinszky m. p.

His convenienter contentur singuli sacri Curiones justae expectationi satisfacere, velintque symbolas suas intra bimestre ad Dioecesanum Officium submittere.

Ceterum *pia ad aram memoria commendatus*

persevero
D. D. Vestra
V. Ecclesiae V. Julii 1831

addictus
Ignatius Ignatius

CASSA - S T

Az Pesten fel-álitott Országos Vakok-Intézetének; kezdetétől fogva,

		forint.	kr.	forint.	kr.
		P e n g ö b e.			
1826	Esztendőben utolsó Decemberig bájött Subscriptio szerént.	—	—	1553	48
	Jövedelem.				
1827	Esztendőben 1. Januariustól, egész utolsó Decemberig.. . . .	1834	34 1/2		
1828	— 1. detto detto	9603	6		
1829	— 1. detto detto	6719	34		
1830	— 1. detto detto	1133	43		
	Öszvessen	—	—	19290	57 1/2
	A' kiköltsönözött Tőke - Summáknak Kamattjai utolsó Decemberig 1830.	—	—	1333	—
	Öszvessen.	—	—	22177	45 1/2
	Tartozik az Intézetnek Cassája egész utolsó Decemberig 1830	—	—	100	21
	Öszvessen.	—	—	22278	6 1/2
	Az fent tulsó oldalon ki tett 16,500 forintokból álló Tőke - Sommának esztendei Kamattjai	990	—		
	A' két Leány - Gyermekek esztendei Fizetése	288	—		
	Öszvessen.	1278	—		
	A' mint a' tulsó oldalon lázík Deficit.	709	—		
		1987	—		

Pesten Majus Holnap 1-ső napján 1831 esztendőhen.

A T U S S A

va, egész 1830-dik esztendei December Holnap' utolsó napjáig.

		forint.	kr.	forint.	kr.
K i a d á s o k.		P e n g ö b e.			
6 procento Kamatokra ki adott Tőke pénzek.				16500	—
K ö l t s é g e k.					
1826	Esztendőben az Intézet kezdetétől utol- só Decemberig.	140	—		
1827	— 1. Januariustól egész utolsó Decemberig	1020	49		
1828	— 1. detto detto	1437	32		
1829	— 1. detto detto	1442	29 1/2		
1830	— 1. detto detto	1737	16		
Öszvessen.		—	—	5778	6 1/2
Öszvessen.		—	—	22278	6 1/2
Az 1830-dik estendei Számadás szerint, Hazi - Költség, Házbér, Director, és Professorók Fizetése, Musikus, és Harisnya - Kötő.		1737	—		
Ezen kívül, a' bójót ajándékok, neveze- tessen 17 öll Fa, Ruházatt, és más efféle az Intézetbe tett ajándékok;— ha ezek a' jövőendő esztendőkre el- maradnának, a' Kipotolásra szüksé- gesek lesznek az Intézet, Cassájából.		250	—		
		1987	—		

A' Vakok Intézetének Perceptora Apadies Grabovszky Athanas.

Am
1872

— o 13 o —

IGNATIUS

EPISCOPUS QUINQUE-ECCLESIARUM,

Venerabili Clero Almae Dioecesis Quinque-Ecclesiensis Salutem et
largam a DEO Benedictionem!

Paulus Apostolus in epistola prima ad Corinthios plura quidem praecipit in sacris Christianorum conventibus adcuratissime observanda, his tamen alia quoque ad divinum cultum utiliter celebrandum apta addi posse satis declarat subjungens: *Cetera, dum venero, disponam, — omnia autem honeste, et secundum ordinem fiant.* Pari ratione urget quidem et alibi, et ad Colossenses scribens: *Verbum Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia docentes et commonentes vosmetipsos, psalmis, hymnis, et canticis spiritualibus in gratia cantantes in cordibus vestris Deo;* Timotheum Episcopum autem sollicitum esse cupit: *ut primum omnium, scilicet praecipue occasione publici divini cultus, fiant obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, et omnibus, qui in sublimitate sunt, ast quaestionem, quos sacros hymnos canere, quas preces fundere oporteat?* ipse silentio praetermittens, enucleandam ad eorum munus pertinere innuit, de quibus fidei populo inculcat in epistola ad Hebraeos: *Obedite Praepositis vestris, et subjacete eis, ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Mox dictis prorsus consentaneum est Concilii Tridentini de observandis et evitandis in celebratione Missae decretum, cujus epilogus Episcopis injungit: *Ut non solum omnia — summatim enumerata, — sed quaecunque alia huc pertinere visa fuerint, ipsi pro data sibi a Sacrosancta Synodo potestate — prohibeant, mandent, corrigant, statuunt, atque ad ea inviolate servanda — fidelem populum compellant, non obstantibus — consuetudinibus quibuscunque.*

Eapropter per magni nominis Antecessores meos de hoc argumento saluberrime constituta, et per me quoque hactenus Sacris Curionibus commendata prosecuturus mitto libelli — preces, et sacros hymnos complectentis — tribus in hac Dioecesi vigentibus vernaculis lingvis editi ad singula publica Templa duo exempla, quorum alterum Ludimagistri, alterum Sacerdotis usui serviat, atque secundum hunc devote celebrandi tam festis, quam profestis diebus divini cultus, item suscipiendi Sacramenti Confirmationis praescribo sequentem Normam.

§ I.

De primis Vesperis festorum dierum.

Quia festis diebus, qui solenni divino cultui peculiariter dicati sunt, praeparationem quampiam praemittere convenientissimum est, et Catholica Ecclesia hoc desiderium sufficienter declarat in hodiernum cuilibet festo adsignatum divinum officium a vespera praecedentis diei inchoando; in posterum singulis diebus Sabbati, et pridie festorum Fori, — ut quo plures interesse valeant, — hora ante solis occasum, aut in populosioribus locis, praesertim aestivis mensibus, etiam citius detur primum signum, post mediam horam alterum, deinde interposita mora fiat compulsus. — Accensis cereis mox Sacerdos Rochetto, Stola, et Pluviali amictus cum pacificali progredietur ad Altare majus, et Cruce ad Aram posita in faldistorio considebit, Ludimagister autem cum populo canet Lytaniam Lauretanae explicatam; — porro terminata Lytania canetur hymnus tempori respondens de Beata Maria Virgine stando, aut flexis genibus, prout ritus Ecclesiae poscit; — hymno sub-

jungetur oratio, quam Sacerdos ad Aram clara voce recitabit, et pacificali formata super populum cruce, pronuntiataque voce submissa benedictione dimittetur populus; — denique donec dilabatur populus, canetur hymnus: *Credo in Te*, qui ad initium cultus divini pomeridiani diebus festis observandi legitur.

§ II.

De expositione Sanctissimi sub solemnibus Sacris.

Solemne Missae Sacrificium exposito supra Tabernaculum in Monstrantia Sanctissimo celebrare licebit solummodo sequentibus festis diebus: cujuslibet mensis prima Dominica, — Die natali Domini, non tamen noctu, — Dominica Paschatis, Pentecostes, et infra octavam Corporis Christi, — die annuae publicae Adorationis, — tribus Feriam quartam Cinerum praecedentibus diebus, velut huic devotioni peculiariter destinatis, — die dedicationis Templi. His festivitas Corporis Christi non adnumeratur, quia ritui tam Romanae, quam Strigoniensis Ecclesiae convenienter hoc die sub solempni Sacrificio duae hostiae consecrandae sunt, quarum altera in solenni processione circumferenda est. — Quoties autem Sacra exposito Sanctissimo fient, semper primum canentur tres Strophae hymni *Sanctus*, quo durante Sacerdos thus adolet, finito autem ordietur lingua vernacula hymnum: *Pange lingua*, quem populus prosequetur usque Stropham: *Tantum ergo*; porro collocabit Sanctissimum inter ardentes cereos supra Tabernaculum; denique ultimo Evangelio terminato iterum praemissa thurificatione Sacerdos Sanctissimum manu tenens canet versum: *Tantum ergo Sacramentum*, et donec populus hymnum absolverit, benedictionem impertietur; thus adolebit, Sanctissimum ad Tabernaculum reponet. Venerabile causa solennis adorationis exponendum semper pridie consecrabitur.

§ III.

Diebus Domini, et festis, item die Adorationis Sanctissimi, nec non Feria 2. et 3. post Dominicam Quinquagesimae ante meridiem solennis divinus cultus.

Hora octava fiet primus pulsus, media nona secundus, et nona compulsabitur. Simul ac compulsus finitur, nemine expectato Ludimagister intelligibili voce incipit praere actus Fidei, Spei, Caritatis, et Contritionis, quem Scholaris juvenus et universus populus clara voce sequitur. — Ubi solummodo una lingua sacri sermones dicuntur, post memoratam orationem illico canitur invocatio S. Spiritus, ad cujus hymni quartam stropham Sacerdos more recepto indutus conscendit Suggestum, — legit Epistolam et Evangelium diei, — media hora dicit ad concionem, et vel lecta explicat, vel his consonum quodpiam Christianae Ethicae caput proponit, aut fidei dogma demonstrat cum ejusdem usu morali, quin latinis textus, quibus rudium auditorum attentio turbatur, interserat, — demum sacrae exhortationi jungit praees pro Rege, omnive classe hominum, et promulgat populo annuncianda. — Donec Sacerdos vestes sacras ad Missae Sacrificium requisitas adsumit, canitur gratiarum actio pro audita institutione, vel psalmus 18-vus. — Cuncta mox recensita ab invocatione S. Spiritus inchoando in Parochiis, ubi duabus, vel tribus etiam lingvis, sacri sermones dici debent, absoluto Missae Sacrificio peraguntur, indeoque devotio nunc memorato hymno, vel psalmo terminatur. — Sub solempni Missae sacrificio alternis vicibus duo praescripti hymni canuntur, quos non modo sono organi, verum aliis etiam musicis instrumentis comitari, atque sic fervorem canentium inflammare ad munus Ludirectorum, et chori pertinet, nunquam tamen — e causis multis notaeve — figuralis latinus cantus cum musica extra Cathedrale Templum adhibebitur. A sonitu tinctionabuli consecrationem praecedente usque finem elevationis silentium observetur piis ad Christum suspiriis impendendum. — Post Sacerdotis communionem praebeatur illis, qui praevia sacram confessionem peregerint, sub eodem sacrificio consecrata Eucharistia, praemissis vernacula lingua: *Confiteor*, *Misereatur*, *Indulgentiam*, item *Ecce Agnus Dei* cum ceteris sequentibus; si vero communicantium major numerus fuerit, sub communionem canatur eadem lingua hymnus: *Lauda Sion*. — In Parochiis, ubi duo, vel plures sunt Sacerdotes, qui ad vicina loca causa Sacrorum excurrere non obligantur, praeter mox dicta etiam mane hora septima, praemissis duobus pulsibus canetur invocatio S. Spiritus, legitur Epistola, et evangelium, dicetur Homilia, qua terminata praeorabit Ludimagister actus Fidei, Spei, et Caritatis, deinde celebrabitur sacrificium legendo, ad cujus partes canetur hymnus profestis diebus praescriptus.

§ IV.

Diebus Domini, et festis a meridie solennis divinus cultus.

Hibernis mensibus hora secunda, aestivis tertia compulsabitur, et statim canetur hymnus: *Credo in Te*; deinde dicetur Catechesis, in qua quaestiones, prout in libro recente

edito, et singulis Parochiis donato occurrunt, proponuntur ita: ut quatuor annorum decursu integra Christiana doctrina absolvatur. Porro accensis cereis exponetur Sanctissimum, canentur tres Strophae hymni: *Sanctus*, thus adolebitur, dabitur benedictio, Venerabile supra Tabernaculum collocabitur, et praeunte Sacerdote clara voce recitentur, alii mensibus autem canentur comitante organo Lytaniae, et quidem:

a.) A prima Dominica Adventus usque Dominicam Sexagesimae inclusive, item Dominica Paschatis de Christo Domino Redemptore humani generis, et Beneficiis ab Eodem acceptis;

b.) Festo Corporis Christi, — Dominica infra octavam mox dictae solemnitatis, — Festo dedicationis Templi, — die adorationis Sanctissimi, — et Dominica Quinquagesimae cum duabus sequentibus Feriis de Sanctissimo Eucharistiae Sacramento;

c.) Dominicis Quadragesimae de Passione Domini;

d.) A Feria secunda Paschatis usque Feriam secundam Pentecostes inclusive de Spiritu Sancto, Ejusque donis;

e.) A Dominica prima post Pentecosten usque Dominicam, quae diem S. Michaelis praecedit, de Sanctissima Trinitate, et divina Providentia;

f.) A Dominica diem S. Michaelis sequente usque ultimam Dominicam post Pentecosten Lytania omnium Sanctorum.

g.) Festis B. M. Virginis Lytania de B. M. Virgine, quae Sabbatis vespere canitur.

Praeces semper Sacerdos ad Aram clara, et distincta voce recitabit. Hanc Orationem sequetur hymnus de B. M. Virgine tempori conveniens cum oratione, sicut diebus Sabbati. Demum canentur duae Strophae hymni libello inserti, sub quo cantu peragitur iherificatio, populo impertitur benedictio, et Venerabile ad Tabernaculum reponitur.

§ V.

Diebus profestis mane.

A.) Siquidem Concilium Tridentinum Sess. 23. C. 14. de Reformat. Sacerdotes animarum curae vacantes non modo diebus festis, verum etiam profestis Missae Sacrificium celebrare jubeat, — et reipsa Romano - Catholica Ecclesia singulis diebus non modo preces recitandas, sed etiam his consonum Missae Sacrificii ordinem Presbyteris praescripserit; nisi graves causae prohibuerint, Sacri Curiones quotidie Sacris operari non intermittant, et ubi plures sunt, alter mane mox post solis ortum, alter hora decima Sacra peragant, — semper praemisso bis pulsu aeris campani;

B.) Ad partes singulas Missae Sacrificii canetur tertius libello precum insertus hymnus;

C.) In Adventu Votivum Missae Sacrificium de B. M. Virgine hora sexta inchoabitur, cujus partes, prout solemnibus festis moris est, per Sacerdotem, — hymnus autem ad singulas partes festorum dierum Sacris adsignatus a populo canentur. Peculiare meritum sibi comparabit, qui huic solemnii Sacrificio opportunitate usus catechetica institutionem junxerit.

§ VI.

Si pro Defunctis Missae Sacrificium seu canendo, seu legendo tantum celebretur:

Ad partes Ejusdem comitante organo canentur hymni libello inserti, et terminata sacra functione, si fideles majori numero adfuerint, clara voce aut per Ludimagistrum, aut per Sacerdotem recitabuntur vernacula lingua preces.

§ VII.

De administratione Sacramenti Confirmationis.

aa.) Ut primum imminens Episcopi Sacra peregrinatio Animarum Curatoribus nota reddita fuerit, mox sequente die Domini fidei populo in epologo sacri Sermonis futuram Sacramenti Confirmationis administrationem annunciabunt, et hortabuntur tam parentes, ut nondum confirmatas septennio majores proles singulis diebus sedulo pro audienda

Christiana doctrina mittant, — quam adultos, qui hoc Sacramentum suscipere distulissent, ut opportuna occasione utantur, atque obligationi boni Christiani satisfaciant. Porro singulis diebus Domini et festis in sacris Sermonibus illae veritates explicabuntur, quae idoneae sunt: ut alii quidem ad digne suscipiendam Confirmationem praeparentur, in aliis vero efficacia hujus Sacramenti jam suscepti instauretur. — Dominica adventum Episcopi praecedente ordo hac occasione in Templo observandus, et per Episcopum tam in Schola, quam Templo agenda finito sacro sermone enarrabuntur, singulisve modestia, et pietas commendabitur. — Tempestive diligenter conscribentur ii, qui intra ambitum Parochiae septimum annum jam superarunt, Confirmationis Sacramentum tamen nondum susceperunt. Consignatio haec Episcopo praesentanda sex columnas complectatur, quarum tituli erunt sequentes: *Parochia, et locus originis, — Nomen, cognomen, aetas confirmandi, — Pater et Mater confirmandi, — Patrinus vel Matrinx, — Examen et doctrina Christiana, et huic respondens calculus, — Nomen Confirmationis.* — Ex hac consignatione per Ludimagistrum scribentur schedulae singulis confirmandis tradendae. — Confirmandi praeteris diligentissime in Christiana doctrina erudiantur, et secundum Catechismum, quem mitto, doceantur illa, quae in hoc libro de Sacramentis generatim, et de Baptismo, Confirmatione, Eucharistia, Poenitentia speciatim proponuntur; — iidem pridie adventus Episcopi ante meridiem sedulo e perceptis interrogentur, et tunc una calculus dati specimenis columnae inscribatur; — die tentaminis a meridie, et sequente usque meridiem, invitatis etiam, si opus fuerit vicinis Sacerdotibus, audiat poenitentium, et praepriis confirmandorum, qui ad probationem meruerunt, confessio; — hac occasione Ludimagister singulis confirmandis, qui Confessionem peregerint, tradet schedulam occasione Confirmationis, a quolibet exhibendam; — ne in Templo tumultus excitetur, Patrinos, vel confirmandos quaerendo, utve quilibet confirmandus, quovis loco consistere possit, Patrini autem fors impediti suis laboribus occupari valeant; in singulis Parochiis decenter vestiti, et proborum morum vir, qui omnium Patrinorum, et mulier, quae cunctarum Matrinarum vice fungetur, praevie per Parochum invitabitur, Officiumque docebitur.

bb.) Pridie tertia hora pomeridiana Scholastica juvenus in Scholari domo congregata praestoletur Episcopo, qui recta has aedes ingreditur profectum juventutis in lectione, scriptione, arithmetica, et grammatica ungarica duabus horis periclitaturus.

cc.) Hora quarta primum, media quinta alterum signum dabitur, et hora quinta durante compulsu, praecedentibus Scholaribus Episcopus Templum intrabit.

dd.) Divinus cultus ita peragetur, sicut Dominica Pentecostes a meridie.

ee.) Terminatis precibus singuli confirmandi, (demptis senioribus:) e Christiana doctrina per Parochum examinabuntur, et ab Episcopo audientur.

ff.) Altero die mane praemisso duplici pulsu celebrabitur Sacrum lectum hora sexta, dein audietur confessio nefors restantium poenitentium. Hora septima pro sollemnibus Sacris dabitur primum signum, media octava alterum, et octava finito compulsu illico canetur hymnus, *Veni Sancte Spiritus* comitante organo, quem praevie Scholares memoriae mandare, aut sibi describere jubeantur; — deinde perlectis Epistola, ac Evangelio diei Parochus, vel Cooperator dicet sacrum sermonem huic solemnitati consentaneum, (quin laudes Episcopi vel verbo memoret) atque in conclusione quam brevissime recensebit seriem sacrarum functionum, — monebit confirmandos, ut toti divino cultui devote adsint, et nonnisi ultima gratiarum actione terminata domum redeant, — hortabitur singulos, ut clara voce eliciant professionem Fidei e cathedra praelegendam. Porro idem, qui Sermone Sacrum dixit, praeibit proluxiores actus Fidei, Spei, Caritatis distincte, et ad sensum attente quasvis constructiones pronuntiando ita, ut singuli praesentes legentem absque errore sequi valeant. Interea Episcopus sacris vestibus induetur, — precibus absolutis fidei populo benedictionem impertietur, — si adjuncta admiserint, dicet brevem adhortationem ad populum, — solemne Missae Sacrificium, sub quo populus hymnum: *Prosternimur credentes*, canet, sine expositione Sanctissimi celebrabit, — particulas pro communicantibus sufficientes consecrabit, — sumta Eucharistia communicare cupientes ipse participes reddet, attamen, si major numerus fuerit, per Parochum in dispensanda Eucharistia juvabitur. Sub elevatione silentium observabitur. Ante communionem populi canetur praeeunte Ludimagistro per populum lingua vernacula: *Confiteor*, — verba: *Domine non sum dignus*; ter per populum repetentur, — deinde durante communionem canetur hymnus: *Lauda Sion*. Postquam Episcopus benedictionem populo impertitus fuerit, promulgabuntur Indulgentiae, et dabitur signum majori campana pro confirmatione.

gg.) Finito pulsu confirmandi, si omnes in duabus seriebus ab Ara majori usque portam, Templi locum habuerint, ita disponentur: ut mares Epistolae, feminae vero Evan-

gellii latus occupent, in eodem loco mansuri, donec integra functio absoluta fuerit. Quod si major foret numerus confirmandorum; tunc primum mares jubebuntur per Parochum exire, et foris praestolari, feminae autem in Templo mansurae Sacramentum suscipient; — dein hae dabunt locum confirmandis maribus, et expectabunt foris dicendas preces. Donec confirmandi disponentur, et Sacro Chrismate signabuntur, canetur hymnus: *Credo in Te*; sed hic cantus interrumpetur, quam primum Episcopus primam orationem orsus fuerit, et donec preces absolverit, — cessabit autem Sacra unctione terminata. Confirmandi — sub precibus per Episcopum latine dicendis, — dum singuli Chrismate signabuntur, — nec non Deo gratias acturi genuflectent; ante unctionem schedulam confirmationis desideranti tradent; donec autem ceteri Sacram unctionem suscipient, quieti stabunt. — Administratione Sacramenti finita iterum majori campana aliquot minutis dabitur signum, et omnibus qui Confirmationem susceperunt, in Templo congregatis, praesente Sacerdote a cathedra singuli orabunt gratiarum actionem — accepta ab Episcopo benedictione dimittendi.

hh.) Sacramentum Confirmationis solummodo in Parochialibus Templis administrabitur, — sacer sermo, preces, et hymni illa vernacula lingua dicentur, quam major pars populi callet, — eapropter illi, qui potioris partis linguam non intelligunt, per Parochum, vel Cooperatorem pro suscipienda Confirmatione ad aliam proximam, (etiamsi alterius Districtus) Parochiam deducendi erunt.

ii.) Curae sit Vice-Archi-Diaconis: ut in quavis Parochia quatuor Presbyteri adsint, qui Episcopo sub sacris functionibus obsequia praestent.

§ VIII.

De aliis sacris functionibus.

Ut — administratio singulorum Sacramentorum, — diversae solennes Benedictiones, — Sepulturae, — publicae sacrae Processiones, et supplicationes, quae quotannis, aut peculiaribus adjunctis poscentibus instituuntur, — nec non piaefunctiones sacrae hebdomadae quo majori cum spirituali fidelis populi utilitate frequententur; auxiliante Deo promissum supplementum Ritualis Libri, pro quo concinnando singuli, qui rogati fuerant, hujus Dioecesis ecclesiastici viri sedulo elaboratas lucubrationes ad me miserunt, intra decursum unius anni prelum subibit, et mihi navatam operam cassam haud fuisse testabitur.

§ IX.

Summa recentiorum Regionum Mandatorum de divino cultu, et festis diebus.

Etsi insignis sollicitudinis, qua Apostolicus Rex noster immortalis memoriae priorum Augustorum secutus vestigia, pia Religionis exercitia curat, luculenta documenta singularum Parochiarum libris inserta esse non dubitem, quia tamen haec sparsa sunt, haud supervacaneum arbitror eorundem tenorem succincte recensere; est autem sequens:

Diebus Domini et Festis nemo servilibus laboribus occupetur, sed omnes Missae Sacrificio, Sermonibus Sacris, doctrinam Christianam explicanti Catechesi, aliisque pietatis exercitiis intersint, quae dum peraguntur, nullus in tabernis semet detineat, aut clamoribus aliorum devotionem turbet. (12. Nov. 1799. N. 26369.) Quantum in potestate Cleri situm est, fidei populo persvadeatur: ut divinum cultum diligenter frequentet, atque sacram institutionem cum fructu excipiat, magis conspicui autem ceteris maxime salutari exemplo praeluceant. (30. Oct. 1798. N. 26079.) Diebus Domini et festis musica, saltus in popinis ante absoluta Divina pomeridiana, item Coetus opificum, publicae auctiones, et nudinae interdicuntur. (22. Nov. 1808. N. 25799.) Iisdem diebus graviora onera curribus non imponantur, — tabernae mercatorum non reserentur, — ast tonstrinae, apothecae, balnearia pateant; esculenta usque matutinam nonam, candelas hyeme post quartam, aestate post sextam horam vendere admittitur. (12. Nov. 1799. N. 26369.) Augustanae et Helveticae Confessioni addicti, nec non Ritus Graeci tam Catholici, quam non uniti in locis ubi latini Ritus Catholicorum Templum, in quo Sacra celebrantur, existit, Festis Catholicorum privatim labores illos solummodo, qui absque strepitu peraguntur, ruri tamen hos quoque exercere possunt; sed quicumque subditos aut servos suae Religionis festos dies celebrare prohibent, Actioni fiscali subijci praecipitur. (Act. 23. 1791. —). Jan. 1816. N. 731 — 4. Oct. 1814. N. 23034.) Saltus, et choreae publicae a Dominica prima Adventus usque Epiphaniam Domini, et a feria quarta Cinerum usque Dominicam in Albis inclusive vetantur. (10 Mart. 1818. N. 6371.) Scholastica juvenus publicis supplicationibus devote intersit cum suis moderatoribus, et quolibet mense Sacramentis Poenitentiae, ac Eucharistiae utatur. (17 Mar. 1802. N. 5050.) Conventicula nentium horis vespertinis prohibentur. (22. Oct. 1805. N. 24423.) Judaei stabilito Sacrae Politiae ordini semet accomodare obstringuntur.

(9. Dec. 1823. N. 30202.) Eapropter Sacris Curionibus non modo culpa dari nequit, si fidelem populum saepe ad solemnem cultum divinum diebus Domini et festis ante et post meridiem frequentandum hortentur, — in hac obligatione explenda desides paterno affectu reprehendant, — id ipsum inculcantibus Regiis Mandatis morem gerere recusantes Civili Jurisdictioni, causa certius obtinendi desiderati affectus, denuncient; ut potius officio tam Sacerdotis, quam boni civis desint, atque gravissime peccent, qui licet Summi Principis auctoritate fulti majora in dies incrementa capienti perniciosissimo publici divini cultus neglectui ipsi quoque taciturnitate partim, partim proprio tepore velificari non horrent.

§ X.

Quinque - Ecclesiis.

In hac Dioecesi solummodo Urbs Quinque - Ecclesiensis plures complectitur Parochias, et sicut in Cathedrali constanter, ita etiam in ceteris Templis plura peculiariora Sacra celebrantur, quae in aliis Parochiis non vigent. Idcirco Quinque - Ecclesiis ordo cultus divini tenebitur, omniaque pietatis exercitia porroquoque frequentabuntur ita, sicut haec in Decreto ultimae Canonicae Visitationis recensentur, aut posteriori Episcopali mandato mutationem subivere, vel subitura sunt; attamen quaecunque de hymnis, precibus, Sacris Sermonibus, et Catechesibus praemissa sunt, etiam Quinque - Ecclesiis, in quantum aliae stabilitae Sacrae functiones admittunt, ad amussim observentur.

Profecto hominem ratione praeditum nulla occupatio magis decet, quam de Summa Ratione meditari, — Supremum Numen admirari, venerari, imitari, — aeterni, atque perfectissimi Entis voluntatem scrutari, illi quam promptissime obsequi, illius gloriae celebrandae se totum devovere, illius gratiam, praemiave mereri. Dubio vacat mox memoratae destinationi respondendi expeditissimam occasionem esse publicum solennem divinum cultum Sacris exhortationibus junctum, dum et Sacerdos ardore suo concionis animos ad pietatem accendit, et singuli mutuo exemplo sibi invicem praelucent, calcare addunt. Certissimum est, et omnis humanae felicitatis fundamentum esse probos mores, et ad hos formandos firmandosque plurimum conducere publicum, Christianae Religionis Spiritui consentaneum cultum DEI. Negari denique non potest, ibi plerumque languescere populum, ubi etiam Rector Parochiae — Curator animarum torpet, atque avide quasvis frivolas excusationes illis, quas ad evangelicam coenam invitati hospites incassum adtulerunt, simillimas captat: ut sic quidpiam ingrati oneris a se amoliri valeat; e contrario et Sacra diligenter frequentari, et religiosam institutionem libenter audiri, et christianis virtutibus conspicuos numerari plures ibi, ubi Sacerdos fervet, — omnes praescripti divini cultus partes sedulo observat, — bene subactos, continnatos, atque memoriae mandatos Sermones, similesve Catecheses sine intermissione dicit, — cuncta ad veram pietatem inflammandam idonea media adhibet, — singulas Sacras functiones ea devotione exsequitur: ut internam, qua ardet, erga Deum venerationem et amorem manifestent, loquantur, testentur.

Utinam singuli Dioecesis hujus, imbecillitati meae creditae Sacri Curiones Tridentini Concilii Spiritu Evangelii plena Decreta quotannis attente perlegerent, eademque penitus animis mandarent! certo convincerentur multa adhuc sicut alibi, ita in hac quoque Dioecesi Reformatione per laudatae Sacrae Synodi Patres coepta indigere, — et non tam mea, — quamvis per me majorem in modum commendari, urgerique debeant, — quam potius piissimorum, doctissimorumve universalis Ecclesiae Pontificum, — Litteris meis comprehensa — vota ad effectum deducere laud tergiversabuntur. *Igitur non dormiamus, — sed vigilemus et sobrii simus. (1. Thess. C. 5. v. 6.) Implemini Spiritu Sancto loquentes Vobismetipsis in psalmis et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Jesu Christi Deo et Patri. (Ephes. C. 5. v. 18. 19. 20.) Confidimus autem de Vobis in Domino, quoniam, quae praecipimus, et facitis, et facietis. Dominus autem dirigat corda vestra in caritate Dei, et patientia Christi, — et confirmet in omni opere, et Sermone bono. (2. Thess. 3. v. 4. 5. item 2. v. 16.) Fratres orate pro nobis. (Thess. 5. v. 25.)* Quinque - Ecclesiis Idibus Aprilis, Anno Domini millesimo octingentesimo trigesimo secundo.

Ignatius Guay

Ignatius Thomas
Secretarius.

Reverende Barone

Singulorum sacrorum Curionum magnopere interest scire prima tenerimae pastoralis sollicitudinis plena monita Sanctissimi Summi Pontificis GREGORII XVI litteris recenter ad omnes Catholicae Ecclesiae Episcopos missis inserta, — quarum tenor est sequens:

Sanctissimi Domini Nostri GREGORII Divina Providentia PAPAE XVI Epistola Encyclica ad omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, et Episcopos Romae MDCCCXXXII. Ex Typographia Reverendae Camerae Apostolicae.

GREGORIUS PAPA XVI

Venerabiles Fratres

Salutem, et Apostolicam Benedictionem.

Mirari vos arbitramur, quod ab imposita Nostrae humilitati Ecclesiae universae procuracione nondum Litteras ad vos dederimus, prout et consuetudo vel a primis temporibus inducta, et benevolentia in vos Nostra postulasset. Erat id quidem Nobis maxime in votis, ut dilataremus illico super vos cor Nostrum, atque in communicatione spiritus ea vos adloqueremur voce, qua confirmare Fratres in persona Beati Petri jussi fuimus (1). Verum probe nostis, quam malorum aerumnarumque procella primis Pontificatus Nostri momenti in eam subito altitudinem maris acti fuerimus, in qua, nisi dextera Dei fecisset virtutem, ex teterrima impiorum conspiratione Nos congemuissetis demersos. Refugit animus tristissima tot discriminum recensione susceptum inde moerorem refricare; Patrique potius omnis consolationis benedicimus, qui, disjectis perduellibus, praesenti Nos eripuit periculo, atque, turbulentissima sedata tempestate, dedit a metu respirare. Proposuimus illico vobiscum communicare consilia ad sanandas contritiones Israel; sed ingens curarum moles, quibus in concilianda publici ordinis restitutione obruti fuimus, moram tunc Nostrae huic objecit voluntati.

Nova interim accessit causa silentii ob factiosorum insolentiam, qui signa perduellionis iterum attollere conati sunt. Nos quidem tantam hominum pervicaciam, quorum effrenatus furor impunitate diuturna, impensaeque Nostrae benignitatis indulgentia non deliniri, sed ali potius conspiciebatur, debuimus tandem, ingenti licet cum moerore, ex collata Nobis divinitus auctoritate, virga compescere (2); ex quo, prout jam probe conjicere potestis, operosior in dies instantia nostra quotidiana facta est.

Ast cum, quod ipsum iisdem ex causis distuleramus, jam possessionem Pontificatus in Lateranensi Basilica ex more institutoque majorum adiverimus, omni demum abjecta cunctatione, ad vos properamus, Venerabiles Fratres, testemque Nostrae erga vos voluntatis epistolam damus laetissimo hoc die, quo de Virginis Sanctissimae in Coelum Assumptae triumpho sollemnia festa peragimus, ut quam Patronam ac Sospitam inter maximas quasque calamitates persensimus, Ipsa et scribentibus ad vos Nobis adstet propitia, mentemque Nostram coelesti afflatu suo in ea inducat consilia, quae Christiano Gregi futura sint quam maxime salutaria.

Moerentes quidem, animoque tristitia confecto venimus ad vos, quos pro vestro in Religionem studio, ex tanta, in qua ipsa versatur, temporum acerbitate maxime anxios novimus. Vere enim dixerimus, horam nunc esse potestatis tenebrarum ad cribrandos, sicut triticum, filios electionis (3). Vere *luxit, et defluxit terra... infecta ab habitatoribus suis, quia transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt foedus sempiternum* (4).

(1) *Luc.* 22. 32. (2) *1. Corinth.* 4. 21.

(3) *Luc.* 22. 53. (4) *Isaiae* 24. 5.

Loquimur, Venerabiles Fratres, quae vestris ipsi oculis conspiciatis, quae communibus idcirco lacrymis ingemiscimus. Alacris exultat improbitas, scientia impudens, dissoluta licentia. Despiciuntur sanctitas sacrorum, et quae magnam vim, magnamque necessitatem possidet, divini cultus majestas ab hominibus nequam improbatur, polluitur, habetur ludibrio. Sana hinc pervertitur doctrina, erroresque omnis generis disseminantur audacter. Non leges sacrorum, non jura, non instituta, non sanctiores quaelibet disciplinae tutae sunt ab audacia loquentium iniqua. Vexatur acerrime Romana haec Nostra Beatissimi Petri Sedes, in qua posuit Christus Ecclesiae firmamentum; et vincula unitatis in dies magis labefactantur, abrumpuntur. Divina Ecclesiae auctoritas oppugnatur, ipsiusque juribus convulsis, subvertitur ipsa terrenis rationibus, ac per summam injuriam odio populorum subicitur, in turpem redacta servitutem. Debita Episcopis obedientia infringitur, eorumque jura conculantur. Personant horrendum in modum Academiae ac Gymnasia novis opinionum monstris, quibus non occulte amplius et cuniculis petitur Catholica Fides, sed horrificum ac nefarium ei bellum aperte jam et propalam inferitur. Instituitis enim exemplo Praeceptorum, corruptis adolescentium animis, ingens Religionis clades, morumque perversitas teterrima percubuit. Hinc porro freno Religionis sanctissimae projecto, per quam unam Regna consistunt, dominatusque vis acrobur firmatur, conspiciamus ordinis publici exitium, labem principatus, omnisque legitimae potestatis conversionem invalescere. Quae quidem tanta calamitatum congeries ex illarum in primis conspiratione Societatum est repetenda, in quas quidquid in haeresibus, et in sceleratissimis quibusque sectis sacrilegum, flagitiosum, ac blasphemum est, quasi in sentinam quamdam, cum omnium sordium concretione confluit.

Haec, Venerabiles Fratres, et alia complura, et fortassis etiam graviora, quae in praesens percensere longum esset, ac vos probe nostis, in dolore esse Nos jubent, acerbo sane ac diuturno, quos in Cathedra Principis Apostolorum constitutos zelus universae Domus Dei comedat prae caeteris, opus est. Verum cum eo Nos loci positos esse agnoscamus, quo deplorare dumtaxat innumera haec mala non sufficiat, nisi et ea convellere pro viribus conitumur; ad opem fidei vestrae confugimus, vestramque pro Catholici Gregis salute sollicitudinem advocamus, Venerabiles Fratres, quorum spectata virtus ac religio et singularis prudentia et sedula assiduitas animos Nobis addit, atque in tanta rerum asperitate afflictos consolatione sustentat per jucunda. Nostrarum quippe est partium, vocem tollere, omniaque conari, ne aper de silva demoliatur vineam, neve lupi mactent gregem: Nostrum est, oves in ea dumtaxat pabula compellere, quae salutaria iisdem sint, nec vel tenui suspitione perniciose. Absit, Charissimi, absit, ut, quando tanta premant mala, tanta impendeant discrimina, suo desint muneri pastores, et perculsi metu dimittant oves, vel, abjecta cura gregis, otio torpeant ac desidia. Agamus idcirco in unitate spiritus communem Nostram, seu verius Dei causam, et contra communes hostes pro totius populi salute una omnium sit vigilantia, una contentio.

Id porro apprimè praestabitis, si, quod vestri muneris ratio postulat, attendatis vobis, et doctrinae, illud assidue revolventes animo, *universalem Ecclesiam quacunque novitate pulsari* (1), atque ex S. Agathonis Pontificis monitu (2) *nihil de iis, quae sunt regulariter definita, minui debere, nihil mutari, nihil adjici, sed ea et verbis, et sensibus illibata esse custodienda*. Immo inde consistet firmitas unitatis, quae hac B. Petri Cathedra suo veluti fundamento continetur, ut unde in Ecclesias omnes venerandae communionis jura dimanant, ibi *universis et murus sit, et securitas, et portus expers fluctuum, et bonorum thesaurus innumerabilium* (3). Ad eorum itaque retundendam audaciam, qui vel jura Sanctae hujus Sedis infringere conantur, vel dirimere Ecclesiarum cum ipsis conjunctionem, qua una eadem nituntur et vigent, maximum fidei in eam ac venerationis sinceræ studium inculcate, inclamantes cum S. Cypriano (4), *falso confidere se esse in Ecclesia, qui Cathedram Petri deserat, super quam fundata est Ecclesia*.

In hoc ideo elaborandum vobis est, assidueque vigilandum, ut fidei depositum custodiatur in tanta hominum impiorum conspiratione, quam ad illud diripiendum perdendumque factam lamentamur. Meminerint omnes, iudicium de sana doctrina, qua populi imbuendi sunt, atque Ecclesiae universae regimen et administrationem penes Romanum Pontificem esse, cui *plena pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam potestas a Christo Domino tradita fuit*, uti Patres Florentini Concilii diserte declararunt (5). Est autem singulorum Episcoporum Cathedrae Petri fidelissime adhaerere, depositum sancte religioseque custodire, et pascere, qui in eis est, gregem Dei. Presbyteri vero subjecti sint, oportet, Episcopis, quos *uti animae parentes suscipiendos ab ipsis esse*, monet Hieronymus (6): nec unquam obliviscantur, se vetustis etiam canonibus

(1) S. Celest. PP. Ep. 21. ad Episc. Galliar. (2) S. Agatho PP. Ep. ad Imp. apud Labb. Tom. 11. pag. 235. Ed. Mansi. (3) S. Innocent. PP. Ep. 11. apud. Coustat.

(4) S. Cypr. de unitate Eccles. (5) Conc. Flór. Sess. 25. in definit. apud. Labb. Tom. 18 col. 528. edit. Venet. (6) S. Hieron. Ep. 2. ad Nepot. u. 1. 24.

vetari, quidpiam in suscepto ministerio agere, ac docendi et concionandi munus sibi sumere *sine sententia Episcopi, cujus fidei populus est creditus, et a quo pro animabus ratio exigitur* (1). Certum denique firmumque sit, eos omnes, qui adversus praestitutum hunc ordinem aliquid moliantur, statum Ecclesiae, quantum in ipsis est, perturbare.

Nefas porro esset, atque ab eo venerationis studio prorsus alienum, qua Ecclesiae leges sunt excipiendae, sancitam ab ipsa disciplinam, qua et sacrorum procuratio, et morum norma, et jurium Ecclesiae, Ministrorumque ejus ratio continetur, vesana opinandi libidine improbari, vel ut certis juris naturae principiis infestam notari, vel mancam dici atque imperfectam, civilique auctoritati subjectam.

Cum autem, ut Tridentinorum Patrum verbis utamur, constet, Ecclesiam *eruditam fuisse a Christo JESU, ejusque Apostolis, atque a Spiritu Sancto illi omnem veritatem in dies suggerente edoceri* (2), absurdum plane est, ac maxime in eam injuriosum, *restorationem ac regenerationem* quamdam obtrudi, quasi necessaria, ut ejus incolumitati et incremento consulatur, perinde ac si censi ipsa possit vel defectui, vel obscuratio- ni, vel aliis hujusmodi incommodis obnoxia; quo quidem molimine eo spectant novatores, ut *recentis humanae institutionis jaciantur fundamenta*, illudque ipsum eveniat, quod de- testatur Cyprianus, ut, quae divina res est, *humana fiat Ecclesia* (3). Perpendant vero, qui consilia id genus machinantur, uni Romano Pontifici ex S. Leonis testimonio *Can- onum dispensationem esse creditam*, ipsiusque dumtaxat esse, non vero privati hominis, *de patrum regulis sanctionum* quidpiam decernere, atque ita, quemadmodum scribit S. Gelasius (4), *decreta Canonum librare, decessorumque praecepta metiri, ut quae necessitas temporum restaurandis Ecclesiis relaxanda deposcit, adhibita consideratio- ne diligenti, temperentur*.

Hic autem vestram volumus excitatam pro Religione constantiam adversus foedissi- mam in Clericalem coelibatum conjurationem, quam nostis effervescere in dies latius, con- nitentibus cum perditissimis nostri aevi philosophis nonnullis etiam ex ipso ecclesiastico ordine, qui personae obliti, munerisque sui, ac blanditiis abrepti voluptatum, eo licentiae proruperunt, ut publicas etiam atque iteratas aliquibus in locis ausi sint adhibere Princi- pibus postulationes ad disciplinam illam sanctissimam perfringendam. Sed piget de tur- pissimis hisce conatibus longo vos sermone distinerere, vestraeque potius religioni fidentes committimus, ut legem maximi momenti, in quam lascivientium tela undique sunt inten- ta, sartam tectam custodiri, vindicari, defendi, ex sacrorum canonum praescripto, omni ope contendatis.

Honorabile deinde Christianorum connubium, quod *Sacramentum magnum* nun- cupavit Paulus *in Christo et Ecclesia* (5), communes nostras curas efflagitat, ne quid ad- versus ipsius sanctitatem, ac de indissolubili ejusdem vinculo minus recte sentiat, vel tentetur induci. Impense id jam commendarat suis ad vos litteris felicitis recordationis Prae- decessor Noster Pius VIII; adhuc tamen infesta eidem molimina succrescant. Docendi ita- que sunt sedulo Populi, matrimonium semel rite initum dirimi amplius non posse, ne- xisque connubio Deum indidisse perpetuam vitae societatem, nodumque necessitudinis, qui exsolvi, nisi morte, non possit. Memores, sacris illud rebus adnumerari, et Eccle- siae proinde subjici, praestitutas de ipso ejusdem Ecclesiae leges habeant ob oculos, iis- que pareant sancte, accurateque, ex quarum exequutione omnino pendet ejusdem connubii vis, robur, ac justa consociatio. Caveant, ne quod sacrorum canonum placitis, Concilio- rumque decretis officiat, ulla ratione admittant, probe gnari, exitus infelices illa habita- ra esse conjugia, quae vel adversus Ecclesiae disciplinam, vel non propitiato prius Deo, vel solo aestu libidinis jungantur, quin de sacramento, ac de mysteriis, quae illo signi- ficantur, ulla teneat sponso cogitatio.

Alteram nunc persequimur causam malorum uberrimam, quibus afflictae in prae- sens comploramus Ecclesiam, *indifferentismum* scilicet, seu pravam illam opinionem, quae improborum fraude ex omni parte percrebuit, qualibet fidei professione aeternam posse animae salutem comparari, si mores ad recti honestique normam exigantur. At fa- cili sane negotio in re perspicua, planeque evidenti, errorem exitiosissimum a populis vestrae curae concreditis propelletis. Admonente enim Apostolo, (6) *unum esse Deum, unam fidem, unum baptisma*, extimescant, qui e religione qualibet patere ad portum beatitudinis aditum comminiscuntur, reputentque animo ex ipsius Servatoris testimonio, *esse se contra Christum, quia cum Christo non sunt* (7), seque infeliciter dispergere, quia cum ipso non colligunt, ideoque *absque dubio aeternum esse perituros, nisi teneant Catholicam*

(1) *Ex Can. Ap. 38. apud. Labb. tom. 1. pag. 38. Edit. Mansi.*

(2) *Conc. Trid. Sess. 13. dec. de Eucharist. in proem.*

(3) *S. Cypr. Ep. 52. Edit. Baluz.* (4) *S. Gelasius PP. in Ep. ad Episcop. Lucaniae.*

(5) *Ad Hebr. 13. 4.* (6) *Ad Ephes. 4. 5.* (7) *Luc. 11. 23.*

fidem, eamque integram, inviolatamque servaverint. (1) Hieronymum audiant, qui, cum in tres partes schismate scissa esset Ecclesia, narrat, se tenacem propositi, quando aliquis rapere ipsum ad se nitebatur, constanter clamitasse: *Siquis Cathedrae Petri jungitur, meus est* (2). Falso autem sibi quis blandiretur, quod et ipse in aqua sit regeneratus. Opportune enim responderet Augustinus (3): *Ipsam formam habet etiam sarmenum, quod praecisum est de vite: sed quid illi prodest forma, si non vivit de radice?*

Atque ex hoc putidissimo indifferentismi fonte absurda illa fluit ac erronea sententia, seu potius deliramentum, asserendam esse ac vindicandam cuilibet *libertatem conscientiae*. Cui quidem pestilentissimo errori viam sternit plena illa, atque immoderata libertas opinionum, quae in sacrae, et civilis rei labem late grassatur, dictitantibus per summam impudentiam nonnullis. aliquid ex ea commodi in Religionem promanare. At *quae pejor mors animae, quam libertas erroris?* inquebat Augustinus (4) Freno quippe omni adempto, quo homines contineantur in semitis veritatis, prorupte jam in praeceptis ipsorum natura ad malum inclinata, vere apertum dicimus *puteum abyssi* (5), e quo vidit Joannes ascendere fumum, quo obscuratus est sol, locustis ex eo prodeuntibus in vastitatem terrae. Inde enim animorum immutationes, inde adolescentium in deteriora corruptio, inde in populo sacrorum, rerumque, ac legum sanctissimarum contemptus, inde uno verbo pestis rei publicae prae qualibet capitalior, cum experientia teste vel a prima antiquitate notum sit, civitates, quae opibus, imperio, gloria florere, hoc uno malo concidisse, libertate immoderata opinionum, licentia concionum, rerum novandarum cupiditate.

Huc spectat deterrima illa, ac numquam satis exsecranda et detestabilis libertas artis librariae ad scripta quaelibet edenda in vulgus, quam tanto convicio audent nonnulli efflagitare ac promovere. Perhorrescimus, Venerabiles Fratres, intuentes, quibus monstris doctrinarum, seu potius quibus errorum portentis obruamur, quae longe ac late ubique disseminantur ingenti librorum multitudine, libellisque, et scriptis mole quidem exiguis, malitia tamen permagnis, e quibus maledictionem egressam illacrymamur super faciem terrae. Sunt tamen, proh dolor! qui eo impudentiae abripiantur, ut asserant pugnaciter, hanc errorum colluviem inde prorumpentem satis cumulate compensari ex libro aliquo, qui in hac tanta pravitate tempestate ad Religionem ac veritatem propugnandam edatur. Nefas profecto est, omnique jure improbatum, patrari data opera malum certum ac majus, quia spes sit, inde boni aliquid habitum iri. Numquid venena libere spargi, ac publice vendi, comportarique, imo et obhiberi debere sanus quis dixerit, quod remedii quidpiam habeatur, quo qui utuntur, eripi eos ex interitu identidem contingat?

Verum longe alia fuit Ecclesiae disciplina in excindenda malorum librorum peste vel ab Apostolorum aetate, quos legimus grandem librorum vim publice combussisse (6). Satis sit leges in Concilio Lateranensi V. in eam rem datas perlegere, et Constitutionem, quae deinceps a Leone X. fel. rec. Praedecessore Nostro fuit edita, ne *id quod ad fidei augmentum, ac bonarum artium propagationem salubriter est inventum, in contrarium convertatur, ac Christi fidelium salutis detrimentum pariat* (7) Id quidem et Tridentinis Patribus maximae curae fuit, qui remedium tanto huic malo adhibuere, edito saluberrimo decreto de Indice librorum, quibus impura doctrina contineretur, conficiendo. (8). *Pugnandum est acriter*, inquit Clemens XIII. fel. rec. Praedecessor Noster in suis de noxiorum librorum proscriptione encyclicis litteris (9), *pugnandum est acriter, quantum res ipsa efflagitat, et pro viribus tot librorum mortifera exterminanda perniciēs: nunquam enim materia subtrahetur erroris, nisi pravitate facinorosa elementa in flammis combusta depereant.* Ex hac itaque constanti omnium aetatum sollicitudine, qua semper Sancta haec Apostolica Sedes suspectos et noxios libros damnare, et de hominum manibus extorquere enisa est, patet luculentissime, quantopere falsa, temeraria, eidemque Apostolicae Sedi injuriosa, et fecunda malorum in Christiano Populo ingentium sit illorum doctrina, qui nedum censuram librorum veluti gravem nimis, et onerosam rejiciunt, sed eo etiam improbitatis progrediuntur, ut eam praedicent a recti juris principiis abhorre, jusque illius decernendae habendaeque audeant Ecclesiae denegare.

Cum autem circumlatis in vulgus scriptis doctrinas quasdam promulgari acceperimus, quibus debita erga Principes fides atque submissio labefactatur, facesque perduel-

(1) *Symbol. S. Athanas.*

(2) *S. Hier. Ep. 58.*

(3) *S. Aug. In Psal. contra part. Donat.*

(4) *S. Aug. Ep. 166.*

(5) *Apocalyps. 9. 3.*

(6) *Act. Apost. 19.*

(7) *Act. Conc. Lateran. V. sess. 10. ubi refertur Const. Leonis X. Legenda est anterior Constitutio Alexandri VI. Inter multiplices, in qua multa ad rem.*

(8) *Conc. Trid. Sess. 18. et 25.*

(9) *Lit. Clem. XIII. Christianae 25. Nov. 1766.*

lionis ubique incenduntur: cavendum maxime erit, ne populi inde decepti a recti semita abducantur. Animadvertant omnes, *non esse*, juxta Apostoli monitum, *potestatem nisi a Deo: quae autem sunt, a Deo ordinata sunt*. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, et qui resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt (1). Quocirca et divina et humana jura in eos clamant, qui turpissimis perduellionis seditio- numque machinationibus a fide in Principes desciscere, ipsosque ab imperio deturbare con- nituntur.

Atque hac plane ex causa, ne tanta se turpitudine foedarent veteres Christiani, soevientibus licet persecutionibus, optime tamen eos de Imperatoribus, ac de Imperii incolumitate meritos fuisse constat, idque nedum fide in iis, quae sibi mandabantur Religioni non contraria, accurate prompteque perficiendis, sed et constantia, et effuso etiam in praeliis sanguine luculentissime comprobasse. *Milites Christiani*, ait S. Augustinus (2), *servierunt Imperatori infideli; ubi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant, nisi illum, qui in coelis erat. Distinguebant Dominum aeternum a Domino temporali, et tamen subditi erant propter Dominum aeternum etiam Domino temporali*. Haec quidem sibi ob oculos proposuerat Mauritius Martyr invictus, Legionis Thebaeae Primicerius, quando, uti S. Eucherius refert, haec respondit Imperatori (3): *Milites sumus, Imperator, tui, sed tamen servi, quod libere confitemur, Dei . . . Et nunc non haec ultima vitae necessitas in rebellionem coegit: tenemus ecce arma, et non resistimus, quia mori, quam occidere satius volumus*. Quae quidem veterum Christianorum in Principes fides eo etiam illustrior effulget, si perpendatur cum Tertulliano (4), tunc temporis Christianis *non difuisse vim numerorum, et copiarum, si hostes exertos agere voluissent. Esterni sumus, inquit ipse, et vestra omnia implevimus, Urbes, Insulas, Castella, Municipia, Conciliabula, Castra ipsa, Tribus, Decurias, Palatium, Senatum, Forum . . . Cui bello non idonei, non prompti fuisset, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur, si non apud istam disciplinam magis occidi liceret, quam occidere? . . . Si tanta vis hominum in aliquem Orbis remoti sinum abrupissemus a vobis, suffudisset utique pudore Dominationem vestram tot qualiumcumque amissio civium, imo et ipsa destitutione punisset. Procul dubio expavissetis ad solitudinem vestram . . . quaesissetis, quibus imperaretis: plures hostes, quam cives vobis remansissent: nunc autem pauciores hostes habetis prae multitudine Christianorum*.

Praeclara haec immobilis subjectionis in Principes exempla, quae ex sanctissimis Christianae Religionis praeceptis necessario proficiscebantur, detestandam illorum insolentiam, et improbitatem condemnant, qui projecta, effrenataque procacis libertatis cupiditate aestuantes, toti in eo sunt, ut jura quaeque Principatum labefactent, atque convellant, servitutem sub libertatis specie populis illaturi. Huc sane scelèstissima deliramenta, consiliaque conspirarunt Waldensium, Beguardorum, Wiclefistarum, aliorumque hujusmodi Filiorum Belial, qui humani generis sordes, ac dedecora fuere, merito idcirco ab Apostolica hac Sede toties anathemate confixi. Nec alia profecto ex causa omnes vires intendunt veteratores isti, nisi ut cum Luthero ovantes gratulari sibi possint, *liberos se esse ab omnibus*: quod ut facilius celeriusque assequantur, flagitiosiora quaelibet audacissime aggrediuntur.

Neque laetiora et Religioni, et Principatui ominari possemus ex eorum votis, qui Ecclesiam a Regno separari, mutuamque Imperii cum Sacerdotio concordiam abrumpi discipiunt. Constat quippe, pertimesci ab impudentissimae libertatis amatoribus concordiam illam, quae semper rei et sacrae et civili fausta extitit ac salutaris.

At ad ceteras acerbissimas causas, quibus solliciti sumus, et in communi discrimine dolore quodam angimur praecipuo, accessere consociationes quaedam, statique coetus, quibus, quasi agmine facto cum cujuscunque etiam falsae religionis ac cultus sectatoribus, simulata quidem in religionem pietate, vere tamen novitatis, seditio- numque ubique promovendarum cupidine, libertas omnis generis praedicatur, perturbationes in sacram et civilem rem excitantur, sanctior quaelibet auctoritas discerpitur.

Haec perdolenti sane animo, fidentes tamen in Eo, qui imperat ventis et facit tranquillitatem, scribimus ad vos, Venerabiles Fratres, ut induti scutum fidei contendatis praeliari strenue praelia Domini. Ad vos potissimum pertinet stare pro muro contra omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei. Exerite gladium spiritus, quod est verbum Dei, habeantque a vobis panem, qui esuriunt justitiam. Adsciti, ut sitis cultores novi in vinea Domini, id unum agite, in hoc simul laborate, ut radix quaelibet amaritudi-

(1) Ad Rom. 13. 2.

(2) S. Aug. in Psalt. 124. n. 7.

(3) S. Eucher. apud Ruinart. Act. SS. MM. de SS. Maurit. et Soc. n. 4.

(4) Tertul. in Apologet. Cap. 37.

nis ex agro vobis commisso evellatur, omnique enecato semine vitiorum convalescat ibi seges laeta virtutum. Eos in primis affectu paterno complexi, qui ad sacras praesertim disciplinas, et ad philosophicas quaestiones animum appulere, hortatores, auctoresque iisdem sitis, ne solius ingenii sui viribus freti imprudenter a veritatis semita in viam abeant impiorum. Meminerint Deum esse *sapientiae ducem, emendatoremque sapientium*, (1) ac fieri non posse, ut sine Deo Deum discamus, qui per verbum docet homines scire Deum (2). Superbi, seu potius insipientis hominis est, fidei mysteria, quae exsuperant omnem sensum, humanis examinare ponderibus, nostraeque mentis rationi confidere, quae naturae humanae conditione debilis est, et infirma.

Ceterum communibus hisce votis pro rei et sacrae, et publicae incolumitate Carissimi in Cristo Filii Nostri Viri Principes sua faveant ope, et auctoritate, quam sibi collatam considerent non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium. Animadvertant sedulo pro illorum imperio et quiete geri, quidquid pro Ecclesiae salute laboratur; imo pluris sibi suadeant fidei causam esse debere, quam Regni, magnumque sibi esse perpendant, dicimus cum S. Leone Pontifice, *si ipsorum diademati de manu Domini etiam fidei, addatur corona*. Positi quasi parentes, et tutores populorum, veram, constantem, opulentam iis quietem parient, et tranquillitatem, si in eam potissimum curam incumbant, ut incolumis sit Religio et pietas in Deum, qui habet scriptum in femore: *Rex Regum, et Dominus dominantium*.

Sed ut omnia haec prospere ac feliciter eveniant, levemus oculos manusque ad Sanctissimam Virginem MARIAM, quae sola universas haereses interemit, Nostraque maxima fiducia, imo tota ratio est spei Nostrae (3). Suo Ipsa patrocinio in tanta Dominici gregis necessitate studiis, consiliis, actionibusque Nostris exitus secundissimos imploret. Id et ab Apostolorum Principe PETRO, et ab ejus Coapostolo PAULO humili prece efflagitemus, ut stetis omnes pro muro, ne fundamentum aliud ponatur praeter id, quod positum est. Hac jucunda spe freti confidimus, Auctorem consummatoremque fidei JESUM CHRISTUM consolaturum tandem esse Nos omnes in tribulationibus, quae invenerunt Nos nimis, coelestisque auxilii auspicem Apostolicam Benedictionem, vobis, Venerabiles Fratres, et ovibus vestrae curae traditis peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem XVIII. Kalendas Septembris, die sollemni Assumptionis ejusdem B. V. MARIAE Anno Dominicae Incarnationis MDCCCXXXII. Pontificatus Nostri Anno II.

Haec frequenter atque adtente legenda, saepe in memoriam revocanda, et accurate observanda, me vero piis ad aram precibus commendans persevero.

Quinque-Ecclesiis 10. Septemb. 1832.

addictus.
Ignatius Guadagnoli

(1) Sap. 7. 15.

(2) S. Ireneus Lib. 14. Cap. 10.

(3) Ex S. Bernardo Serm. de Nat. B. M. V. §. 7.

Atrium, per quos Dioecesis Quinque - Ecclesiensis diffunditur, Inclytorum Comitatum Universitatibus quoad Matriculas patria lingua amodo scribendas interpellatus, sequentia singulis animarum Curatoribus pro exacta observantia praescribo:

1.) Si libri, quibus nati, mortui, aut copulati nunc inscribuntur, jamjam replendi aut plane pleni essent, pro futuris usibus novi hujusmodi libri bene ligati comparentur; — si autem priora Protocolla haud pridem inchoata pluribus adhuc annis usum praestare poterunt, his functiones inscribentur, ita tamen: ut conclusis cum fine praesentis anni Protocollis, folia quaedam vacua, ductu solum calami atramento tincti, ne quidpiam deesse censeatur, notata relinquantur, et post haec novae rubricae fiant; quae

2.) quales esse debeant, earum forma pro triplicibus Protocollis, una cum titulis columnarum praesentibus adnexa exhibet, quibus adamsim observandis a Calendis Januarii 1835 singulae Baptismi, Sepulturae, et Copulationis, quae in Parochia eveniant, functiones diligenter, et nitide hungarica lingua inscribentur; ut autem omnes rubricae sufficiens spatium habeant, eadem ad utramque libri aperti contiguam paginam distribuantur.

3.) E scriptis plurium annorum Matriculis prudente conjectura in quavis Parochia praevis jam colligi potest numerus, quem nati, mortui, aut copulati per unius anni decursum reddent; huic proinde numero respondens triplex, pro quavis nempe functione distinctus consuatur chartae fasciculus, zona ad formam Canonicae Visitationis Decretorum pendula relictis eo fine, ut haec cerae subponatur, dum a Magistratualibus, qui causa instituendae conationis comparebunt, exempla memorata subscribentur, atque sigillo munientur. His porro fasciculis, ne vitientur, aut maculentur, in securo loco custoditis quaevis sacra functio, eodem, quo peragitur, et parochiali Protocollo inseritur, tempore, neque tardius, iisdem verbis illico inscribatur. Denique concluso anno Tabulario I. Comitatus secundum Art. 23. 1825. — 27. inferendi hi fasciculi Magistratualibus tradantur. Ast

4.) Quod militares personas adinet; harum causa peractae sacrae functiones in posterum quoque latina lingua postremis, huic fini peculiariter destinatis Protocollo foliis inscribentur, columnarum titulis, prout in formula ab Excelso Consilio Ltli missa, et singulis Sacris Curionibus abhinc communicata exhibentur, accurate observatis.

5.)

A. Joseph. Mik. Bar. Sennodienepierpi

5.) Quia praemisso hoc modo per animarum Curatores rite observando communi SS. et OO. Regni desiderio lege expresso satisfiet, paria Matricularum, quae hucusque Benigno Excelsi Consilii Regii L. H. Intimato, et Mandato Consistoriali convenienter ad Officium Dioecesanum quotannis mittebantur, — ne superfluis occupationibus Sacerdotes molestantur, — in futurum horsum exhibenda non erunt.

Ceterum piae ad Aram memoriae commendatus persevero

Quinque-Ecclesiis 30-a Augusti 1832.

PEL

Az N. (Értényi) egygyházi anya-megyének N. (1833^{dik}) esztendőbenn iratott anya-kereszt-könyve.

Évi folyó-szám.	A' keresztelésnek háva, napja, órája.	Melly helységben született a megkereszteltett?	A' megkereszteltnek neve.	A' megkereszteltnek Attya, s' Anyja, kereszt és vezetéknevek, lakások, valóságok, állapotjok.	A' keresztnek, és Anyának névök, állapotjok.	A' keresztelőnek neve.	A' himlőnek béoltását sürgető nyomtatvány, és intézés.	Észrevételek.
1.	Pünkösd hava 10-kén reggeli 8. órákor.	N. nevű városbann, falubann, Pustán.	Nepomuki János.	Attya: Nevetlenfalvi Nemes Parlagi József, lakik N. falubann, Helvetziai vallástételnek követője, birtokos Ur. Anyja: Nemes Boros Anna, Római katolika.	Gondos Péter közmives mester, és ennek hitvéstársa Jó Petronilla.	Nagy Pál megyés-pap.	A' kereszt Attyának adatott az érintett nyomtatvány kezébe, foglalatja meg magyaráztatván, és annak telyesítése meghagyatván.	Mivel ezen gyermek attya fia gyermekeinek is a katolika Hitbenn való nevelésére írással lekötelezé magát, azért itt kell vala végbe vitetnie a' keresztelésnek.
2.	Sz. Mihály hava 25-kén délutáni 3 órákor.	Pusztafalú, fi-megyében.	Anna.	Attya: Szijártó Mihály Pusztafalusi kovács mester, katolikus. Anyja: Agostai vallástételt követő Boldog Judith.	N. N.	Kis Péter segéd-pap.	A' nyomtatvány a megkért, és beiratott kereszt Attya Anya képviselőinek N.N. adattott által, hogy a Szülők kezéhez szolgáltatassák.	Veszedelembenn fogván ezen gyermek már előbb a Bábától megkereszteltetett, most pedig csak feltételelesen.
3.	Mind Szent hava 10-kén reggeli 10 órákor.	N. Borsod Vármegyében A-brány nevű falubann.	István, - 16. esztendő.	Attya: Löwstein Mojses Zsidó Boltos, lakik Abránybann. Anyja: Kranz Rákel Zsidó.	N. N.	N. N.	Már kiállotta a himlő oltást.	Ezen keresztelés ki-szolgáltattott a Fő Mált. Helytartó Tanácsnak N. szám alatt engedelmellett.

Az N. egyházi anya-megének N. esztendőben iratott házassági anya - könyve.

Évi folyó-szám.	A házasság megáldásának helye, ha-va, napja, órája.	Az áldást ki-szolgálató pap-nak neve.	Az egygybe-kelő házassze-mélyek neve, lakása, val-lása, kora, állapotja.	Az egész szer-tartáson jelen-volt két tanúk neve, lakása, álla-potja.	A három hir-detés melly napokon tör-tént?	Nem jelente-tett-e a házasságot ellenző akadály?	Nyeretett-e engedelem?	Észrevételek.
1.	N. Fi me-gyének egyházá-bann Szent Iván hava 18kán dél-előtti 10. órákor.	N. helybé-li meg-yés pap.	N. özvegy ember (kinek el-ső felesége született Megye-ri Borbára 1830-ban kis Asz-szony havának 4-kén N. fa-lubann meg-halt) lakik N. falubann, Agostai vállásté-tel követője 40. esztendő, földműves, — házasságra lé-pett N. falubann lakó N. ha-jadon Római katolika 25. esztendő személyvel, kinek Attya N. Anya N.	N, és N.	Szent Iván havának 1. 8. és 15. napján.	Harmadik i-zen való atya-fiság jelente-tett.	A megyés Püspöktől N. szám alatt a házasságra engedelem adatott.	Mivel a férfi külső örökös Tartományból való, teljes el-botsátása kéretett, és N. hi-vatalos szám szerint meg-nyerettetett.
					Két hirdetés N. hivatalos szám alatt el-engedetett.			A férfi önként írásbann le-kötelezte magát: hogy léen-dő férfi gyermekeit is a katolika hitben fogja ne-velni.

Az N. egygyházi anya-megyében N. esztendőnek lefolyása alatt meghaltaknak anya/-könyvek.

Évi folyószám.	A' történt halálának hava, napja, órája.	A' helynek neve.	A' meghaltak neve, állapota, vallása, kora, hagyott özvegye, gyermekei.	A' Betegség neve.	Orvosoltatott, és ki által?	Ki szolgáltatott-e a' kimultnak a' vizsgálatok Szentsegek, mely nap, ki által?	Ki nézte meg a' halt testet, tapasztaltattak-e a' testben a' halálának bizonyos jelei?	A' temetésnek helye, napja, órája.	A' temetés szertartását végezte.	Észrevételek.
1.	Szent György havának 8-kán éj-jeli két órákor.	Csillag Pusztán.	Nemes N. birtokos Ur, 40-ik esztendejében, Római katolikus, hagy özvegyet született Kegyes Katalint, — József és János fiú, és Mária lány gyermekekkel.	Tüdő-gyulladás.	N. Kül-Orvos által.	Sz. György havának 6-kán N. segéd-pap által.	Ugyan azon kül-Orvos, vagy Az a' végre rendelt halt-test nézők. vagy A' test már megfahadt.	N. fimegyének temetőjében. Sz. György hava 11-kén reggeli 10. órákor.	N. segéd-pap.	Mivel epemirigyben halt meg, haladék nélkül történt eltemetése. Lévén a' temetőben koporsó bolt, oda még 48. óra előtt kivitetett.

950
1833

IGNATIUS

LIBER BARO SZEPESEY DE NÉGYES

Miseratione Divina et Apostolicae Sedis Gratia

EPISCOPUS

QUINQUE-ECCLESIARUM

Venerabili Clero Almae Dioecesis Quinque-Ecclesiensis Salutem, et
largam a DEO Benedictionem!

*Siquando nunc certe omnia adjuncta postulant: ut Catholicae Religionis Sacerdotes sint sal
terrae, sint lux mundi; qui sapientiae sale mentes aliorum imbuere, et morum sanctitati
fulgore omnium corda ad sui imitationem, rapere satagant.*

Hodie — jam neque vulgus solis sacris functionibus per Sacerdotem peractis contentum est, — illiterati quoque plus atque olim sapiunt, — semidoctorum autem infinitus est numerus.

Nunc equidem frequentissime, fere toties, quoties plures conveniunt, quaestiones illae agitantur: Cui bono tantus numerus Sacerdotum? Quare tanti redditus iisdem additi? Suntne Sacerdotes laicis seu doctiores seu probiores? Numquid non pertinet ad partes civilis potestatis hic mutationem e publica re futuram quo ocius suscipere? Hujusmodi autem sermones haud vanos neque contemnendos esse, — imo neque seu legibus e codice utriusque juris citatis, seu diuturno plurium saeculorum pacifico usu, seu anathematibus refutari ac enervari posse cum antiquioris tum recentioris aetatis fide digna Historia sat superque docet: ut adeo quisquis Sacerdotum nondum obcalluit, instans periculum non cernere non possit.

Ast; si memorata nihil suffragantur, neque novandi pruritui mederi valent, quid amabo (exclamabit fors quispiam haec legendo) quid quaeso atram adpropingvantem tempestatem a capitibus Cleri amolietur? — — Profecto nihil aliud quam eminens Scientia et conspicua Virtus: quas mentis compos quilibet veneratur, — quibus ornatos viros Reipublicae semper non tantum utiles sed et necessarios esse nemo prudens addubitare potest. Quod si singuli sacerdotes: — in primis literis vacarent, — in sacris non minus quam profanis disciplinis constanter progredi contenderent, — praecipuo suo Doctoris scilicet munere, verbo et scripto, praemissa debita praeparatione monendo exhortando erudiendo sedulo fungerentur, — vitata turba libenter domi suae morarentur, — quoties videntur, toties velut lucernae super candelabrum ardentes in omnes praesentes Christianae Perfectionis radios spargerent, — omnes redditus, quibus carere possunt, in augendum cultus divini decorem, in publica utilia instituta seu fundanda seu altius provehenda, in adjumentum veris pauperibus adferendum impenderent; — — si domus sacerdotum totidem forent scholae et specula sanctitatis; — quis hujusmodi virorum societati facultates, quibus gaudet, nisi demens invidere posset? quis horum spoliandorum desiderium manifestare non erubesceret? quis non in his columnis salutem reipublicae stare arbitraretur?

Verum: si jam alumni in Seminario laxiorem disciplinam et compendia studiorum impatienter urgeant; — si terminato studiorum curriculo solummodo pridie festorum sacros sermones complectens liber legatur: ut quidpiam media hora recitandum memoriae mandetur, aut in cathedra legendum describatur; — si praescripta Sacra ita perfunctorie absolvantur: ut citra offensionem spectari nequeant, — si quibuslibet occupationibus potius quam orando quotidie Breviario tempus suppetat; — si pastores et doctores saepe ideo praesertim congregentur: ut lusu pictorum foliorum, merendis, et poculis praetiosum tempus pessumdent, atque ad pios fines destinatos redditus abliguriant; — si sacer curio in templo solummodo togatus adpareat, alias vero abjecta talari veste nihil aliud, quam mundi vanitatem spiret; — si Cooperatoribus nihil magis displiceat, quam monitum Parochi vagationem prohibentis, et Parochus adiutori suo famulum praeferat, eidemve, quae obligatur, praestare ad taedium usque tergiversetur; —

si juniores sacerdotes, ut quo ocius parochiale beneficium consequantur, coram saecularibus et viris et mulieribus, quorum favore se voti damnatum iri sperant, serpere, eos prensare, imo et promissis suffragationem aut consensum mercari non reformident; — si obtento beneficio omnis cura ad comparandam elegantem suppellectilem, ad penum et cellam vinariam instruendam convertatur, librorum autem minima vel nulla ratio habeatur; — si ad naturam vivere haud volentes, ad luxum vero redditibus non sufficientibus, nullum licet securum fundum adsignare queant, attamen debita contrahant: quin ingrata consecraria expendant, aut de restitutione creditoribus facienda solliciti sint; — si ex adverso alii pecuniis tantummodo corradendis studeant, et nec in tabulis ultimae voluntatis piorum institutorum mentionem faciant, sed frequenter oeconomia universalis haeres scribatur; — si haud pauci turpissimam lasciviae ac ebriositatis labem sublimi sacerdotis dignitati adspargere non horreant; — si haec et plura his similia de magna parte Sacerdotum verissime affirmari experientia testetur; — quis miretur sacerdotes passim despicatui haberi, et consilia iisdem inimica jam palam enuntiari? ?

Qua celebritate Quinque - Ecclesiensis Dioecesis immortalis memoriae Episcopo Georgio Klimo eandem gubernante floruerit? omnibus constat. Hanc recuperare imo ad majorem etiam eluctari honestissimum votum est; cujus auxiliante DEO compotes reddi possumus, dummodo velimus. Ut autem hanc optatissimam reformationem ad effectum adducere serio velimus; praesens Sacri Jubilaei Tempus occasionem suppeditat opportunissimam, incitamentum addit validissimum.

Eapropter sacris canonibus convenienter in posterum adcuratissime observentur sequentia:

A) Praescripta talaris vestis sacrorum ministrum modestiae, quam semper prae se ferat oportet, absque modestia admonet; hujus tam domi quam foris constans usus habeatur: quin muliebri more corpori adstringatur, et sic ridicula reddatur.

B) Ultra horam Vespertinam octavam nemo domo absit, neque unquam in locis illis commoretur: ubi choreae vel spectacula instituuntur.

C) Quia nihil magis — sacerdotem ornat, sacris functionibus venerationem conciliat, mentem ad quasvis utiles occupationes idoneam reddit: quam Castitas; omne studium, omnis vigilantia adhibeatur: ut haec virtus integerrima custodiatur. Idcirco saecularium aedes, nisi officium vel charitas postulet, non frequententur; — si viri pro obsequiis in coquina conducere nequeant, coqua quadraginta annis major et bene morata mulier sit, quae cum ancillis idem cubile incolat, hasque vigili oculo observatura singulos excessus earum, causa Tempestive ferendae medelae sine mora Parocho referat; — Parochi vel Cooperatoris cubilia nec coqua nec ancillae ingrediantur, sed hic pueri, qui apti ubique reperiri possunt, famulentur; — quaecunque cum mulieribus sermocinatio in coenaculo, nisi dignitas earum omni suspitione vacua exceptionem fieri juberet, absolvatur; — nullum tempus vigiliis, lusibus, aut inani confabulatione conteratur, sed quodvis utili occupationi sacretur; — extra tempus prandii et coena nihil cibi aut potus praeter aquam summatur, neque alteri adponatur, ne ecclesiasticae aedes in gratuitas popinas degenerent; — cunctis crematis liquoribus procul relegatis vinum non nisi ad prandium et coenam bibatur modicum, quantum videlicet roborando stomacho necessarium quisque experitur; — nunquam spurcae voces ullae proferantur, quibus in suspensionem vocandae castitati ansa praeberetur; — nulli libri legantur, in quibus obsceni amores ex professo describuntur: quam ceteroquin innumeri praesto sint, e quibus et scientias et cultissimum sermonem haurire licet, quin animi continuis impuris imaginibus depravandi periculum subire oporteat; — mulierum confessio nunquam in cubili sed in Sacristia aperta porta aut in templo per intercedentes confessionalis sedis crates audiatur; — somnus ante mediam noctem inchoandus ultra matutinam quintam horam non producat; — alter alterum praemissa transgredientem illico moneat; ne sero medicina paretur, cum mala per longas invaluerit moras.

D) Ast nemo castus esse potest: nisi saepissime divinum auxilium imploret. Hinc quotidie preces per Ecclesiam sacerdotibus praescriptae adtente, et devote recitentur. Sole inclinante Vesperae, completorium, item sequentis diei matutinum cum laudibus, — mane vero ante Missae Sacrificium horae absolvantur. Ubique cooperatore adest, hic cum parocho alternando Breviarium oret: ut sic et oratio DEO gratior fiat, et alter alterius testis esse queat. Serviens familia quotidie mane et vespere in coenaculo praeseunte parocho vel cooperatore precibus vacet; mane quidem Litaniae OO. Sanctorum cum versiculis

et orationibus, vesperi autem actus Fidei Spei Charitatis et Contritionis, quos Confirmationis Sacramentum suscepturi elicere solent, e noto precum libello orentur.

E) Quoties conscientia gravius peccatum perpetratum queritur, aut plures etiam leviores culpas admissas testatur; maxime salutaris Confessio non differatur. Praeterea singulis annis tres illi nefasti dies, qui pro dolor! etiam inter Christianos in hodiernum bacheriarum nomine peculiariter insigniuntur, ac plurimis peccatis foedantur, piis exercitiis, meditationibus, ac precibus impendantur, et Sacrum Quadragesime tempus, ut quam utilissime transigi queat, contrito corde peragenda peccatorum exomologesi inchoetur.

F) Serviens familia quolibet quadrimestri semel sacra Confessione Conscientiam expiare non intermittat, et sub solemnii Missae Sacrificio praesente populo Sanctissimo Epulo reficiatur. Porro eadem non modo diebus festis ante ac post meridiem, sed et profestis diebus Sacris interesse jubeatur.

G) Quaecunque de trivialibus Scholis et de celebrando divino cultu dimissis circularibus litteris statuta sunt ad amussim expleantur.

H) Ii, qui quinquagesimum annum nondum superarunt, singulos sacros sermones una cum catachesibus chartae mandabunt, atque haec scripta tam V. A. Diacono causa censurae rationum ad Parochiam venturo, quam visitanti Episcopo exhibebunt, quae semper signabuntur, ne alia vice iterum produci valeant.

I) Sacrae exhortationes quae in templo ad populum dicuntur, non legantur; verum e memoria promantur.

K) Quivis e Scientiis Theologicis Philosophicis aut Juridicis unam, — pariter e vernaculis lingvis unam peculiariter excolendam sibi deligat; ad hunc finem singulis annis quospiam libros sibi comparet, atque catalogum emtorum librorum per V. A. Diaconum Episcopo praesentet.

L) Singulis annis mense Decembri Theologicae Facultatis Professores praeside Vicario et Causarum Auditore Generali tres questiones e Theologicis Scientiis proponunt, quae mox universo dioecetano Clero significabuntur. — Responsum singuli sacri Curiones usque mensem Julium elaborabunt, relictis marginibus nitide describent, et per V. A. Diaconum ad Calendas Augusti Episcopo mittent. Porro haec responsa in Consessibus per sinodales Examinatores celebrandis adtente legentur, et adprobatione digna mense Novembri exarandis circularibus litteris laudabuntur, aut, si typum meruerint, sumtu dioecetani fisci edentur; omnia vero ligabuntur, et in publica Bibliotheca ad perpetuam memoriam reponentur.

M) Qui amplioribus redditibus gaudent, etiam vita durante quidpiam utilibus publicis institutis donent; in tabulis autem ultimae voluntatis, quas integra valetudine fruentes concinnare non negligant, memoratorum institutorum, et praesertim Parochiae, cui praefuerunt, non obliviscantur.

N) V. A. Diaconi, dum causa rationum Ecclesiae Parochias adibunt, semper etiam attamen sine strepitu investigabunt: num praemissa observata fuerint? et de compertis sinceram Relationem praestabunt.

O) Quicumque alterum accusare debuerit; semper una commissum delictum cum omnibus adjunctis describet, et testes nominabit secus non audiendus. Quoties accusatio gravius delictum adtinuerit, et fide dignis documentis fulta fuerit; insimulatus semper fiscali actioni subjicietur, et sententia convocatis pluribus in Quinque-Ecclesiensi Urbe degentibus Sacerdotibus publicabitur. Flagitii convictus ad nulla amplius ecclesiastica Beneficia commendabitur, nullam episcopalis collationis Parochiam impetrabit, neque Parochis adjutor adjungetur, nisi a quopiam expetitus fuerit; sed in aedibus deficientium delitescere cogetur.

Ut autem ad publicum testimonium Scientiae et Virtuti his clarorum virorum perhibendum singuli almae hujus Dioecesis Sacerdotes concurrere possint; quoties Stalium Canonici vacaverit.

1) Id circularibus litteris notum reddetur; quibus

2) Acceptis et lectis intra trimestre in singulis Districtibus omnium Parochiarum et Cooperatorum conventus celebrabitur; in quo collatis consiliis e gremio Distri-

ctus unus, quem scientia et Virtute ceteris praestare major pars praesentium censuerit, additis rationibus et meritis commendabitur, atque propositionem chartae mandandam mox omnes suffragantes suo nomine signabunt; ast etiam votum negantium nomina subjunguntur.

3) Pari modo Episcopalis Lycei Ecclesiastici Professores cum Sacerdotibus, ad Episcopalem Aulam, Chatedrale Templum, Seminarium Cleri junioris, et orphanorum Institutum pertinentibus simul consultabunt, et duos e corona hac commendabunt.

4) Terminato trimestri omnes litterae de hoc argumento missae in consessu Cathedralis Capituli perlegentur, atque e commendatis sex, quibus numero plures Canonici suffragati fuerint, intra mensem Episcopo laudabuntur. Ex his vero

5) Tres Sacratissimae Caesareae Regiae Apostolicae Majestati ad vacans Stalium, ceteri pro aliis Ecclesiasticis Honoribus vacaturis obtinendis proponentur.

Dum sic in commendatione pro conferendis Ecclesiasticis Dignitatibus solummodo inculpatorum morum, et praecellentium ingenii dotum, meritorum, conatum fuerit ratio habita, atque ii, qui omnium testimonio dignissimi, et maxime idonei censeantur, praemia receperint; Scientiae et Virtutis aestimatio in Alma hac Dioecesi notabile incrementum capere debebit.

Attamen non cujuscunque demum praemii, sed ipsius Scientiae et Virtutis, — quae cultores suos etiam nullo alio accedente praemio abundantissime remunerantur, — gratia singuli Sacerdotes alter alterius doctrinam, pietatem, vitae integritatem, assiduitatem aemulentur est necesse. Ideo enim apparuit Gratia DEI Salvatoris nostri omnibus hominibus: ut ea adjuvante eruditi abnegantes impietatem et saecularia desideria sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc saeculo expectantes beatam spem et adventum gloriae Magni DEI et Salvatoris nostri Jesu Christi, in omnibus autem nos, — qui singulari DEI Clementia constituti sumus ministri Christi et dispensatores Mysteriorum DEI, — nosmetipsos praebeamus exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, in sermone sano et irreprehensibili; ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens, malum dicere de nobis. Fiat! Posonii calendis Novembris anno Christi 1833.

Andreas Mikolajczyk
Vicar. G. G. G.

Paulus Heger
Procurator Generalis Proor.

IGNATIUS

LIBER BARO SZEPESY DE NÉGYES

Miseratione Divina et Apostolicae Sedis Gratia

EPISCOPUS

QUINQUE-ECCLESIARUM

Venerabili Clero Almae Dioecesis Quinque-Ecclesiensis Salutem,
et largam a DEO Benedictionem!

Multas easque gravissimas decem et octo saeculorum decursu subierat Catholica Ecclesia procellas; ast tempestas, quae nunc Ei minatur, prioribus omnibus perniciosior merito existimatur. Profecto, dum Christi Ecclesiam orientem quidem diutius, deinde adultam saepius hostes Ejusdem ferro et igne vastarunt; frequenter sanguis Martyrum erat semen Christianorum: quia equulei, forcipes, prunae, gladius, laqueus, crux, rogos, et excogitatissima quaevis tormenta dilaniando corpori fidelium adhibita persvasionem de veritate Religionis, cui se addixerunt, animo Eorum inditam infirmare non poterant, — imo abominabilis in insontes crudelissime saeviens furor novum erat perseverandi incitamentum. Dum porro haeretici ac postremo increduli singula Catholicae Ecclesiae dogmata omni genere argutiarum oppugnabant: adhuc inquirendae veritatis studium ejusque inventae amplectendae ac profitendae propositum inimicis etiam Catholicae Religionis haud paucis non deerat; — alter alteri ad meditandum, legendum, discendum, scribendum calcar addebat; — doctissimis operibus editis adversariorum sophismata refutata, obscura enucleata, veritas Divinae Religionis in plena luce collocata sunt. Verum hodierni Catholicae Religionis inimici non amplius aperto Marte decertare, sed astu et strategematibus tantummodo incautos decipere atque sic Catholicam Ecclesiam pedetentim membris suis spoliare constituerunt; et teste tristi experientia magnos jam hactenus progressus fecere. Etenim nihil hodie minus discitur vel noscitur quam Religio; passim auditur, et adoptatur periculosissimum principium illud: quisque credat, quod placet, — quilibet jure suo deligendae ac sequendae sibi maxime adridentis Religionis utatur; imo jam quatuor mensium decursu magna pars Patrum Patriae ad praesentia Regni Ungariae Comitum convocatorum, non cessat urgere: ut publica lege cuius potestas tribuatur superato 18-vo aetatis anno, amplectendae, in qua conquiescit, Religionis, — seu quod idem, — omne inter veram et falsam Religionem discrimen sublatum palam enuntiatur.

Certum quidem est Illum, qui omnem potestatem habet in coelo, et in terra, de Ecclesia sua per universum orbem terrarum propaganda adfirmasse: *Portae inferi non praevalerunt adversus Eam; et ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*, atque ideo fluctuat at nunquam mergitur ista ratis. Interim illud quoque negari nequit singulis e proeliis vehementer sauciam numerosis suorum desideratis evasisse Catholicam Ecclesiam, et semper multis millionibus Christianorum evenisse, quod Christus Phariseis praedixerat: *Auferetur a vobis Regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus*. Centeni millions hominum hodie aut Mohammedis deliriis delectantur, aut diversis Catholicae Ecclesiae dogmatibus negatis Eandem adspernantur; quorum Majores Catholicam Ecclesiam svavissimam Matrem suam venerabantur, Ejusve doctrinae toti adhaerebant. Ungara Gens Sancti Stephani, ac aliorum Regum suorum audoribus Catholicam Religionem amplexa quingentis fere annis hanc solam profitebatur; hodie autem pro dolor! in Ungaria et Transsilvania facile tres millionis Lutheri Calvini et Socini placita prosequuntur. Numquid tepor Catholicorum ubique se exserens Sacrorum Ministris justum timorem incutere non valet: ne pedetentim universus populus Catholicam Religionem deserat, et ad castra adamatae licentiae magis faventia commigret??

Misericors DEUS hoc malum omnium maximum quam longissime a Patria nostra avertat!! Verum nec Pastores et Doctores officio suo desint oportet. Sedulo populus et tempestive Juventus veritatem ac necessitatem, sublimia et salutaria dogmata, sanctissima praecepta Catholicae Religionis doceatur; — ferventes praeprimis solenni divino cultui praestitutis diebus ad Deum preces fundantur; — devoto usu Poenitentiae Sacramenti emen-

dentur mores, et Catholicae Ecclesiae Pastores non minus, quam horum exemplo ducti ceteri fideles bonis operibus et Christianis Virtutibus emineant est necesse.

Haec Catholicae Ecclesiae ardentissima vota ut tanto certiore effectu donentur Sanctissimus Summus Pontifex Divini Soteris Nostri in terris Vicarius et vigilantissimus nunc Catholicae Ecclesiae Gubernator GREGORIUS Divina Providentia Papa XVI ad implorandum Divinum Auxilium Jubilaeum Universale promulgari benignissime jubet Apostolicis Litteris ad omnes Episcopos dimissis, quarum tenor est sequens:

GREGORIUS PP. XVI. Universis Christi Fidelibus Praesentes Litteras Inspecturis Salutem et Apostolicam Benedictionem. Plura post susceptam in Lateranensi Basilica solemnem Pontificatus possessionem scripsimus de afflictis Ecclesiae rebus ad Venerabiles Fratres Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, fidem ipsorum, ac religionem obtestantes, ut facti muri pro Israel adversus molitiones, quas in eam conflari ingemiscimus, studia, vota, consiliaque omnia ad eas conterendas conferrent. Eum porro in finem ut oculos manusque ad Montem levarent, unde adventurum auxilium certo confidimus, eos monuimus, probe gnari, propitiato Eo, qui imperat ventis et mari, fieri tranquillitatem, ac divinam descendere miserationem, ubi humilis ad DEUM ascendat oratio.

Verum cum invalescente ubique improborum conjuratione ferveat adhuc procella, generales in Ecclesia universa preces indicendas decrevimus, thesauros idcirco reserantes coelestium munerum, ut inde animis ad pietatem compositis, sancteque a peccatorum labe expiatis, fiant gratiores Deo, acceptioresque obsecrationes ipsae, eaeque ad Illum in odore suavitatis ferantur. Fuit id quidem ex prisco Romanae Ecclesiae instituto positum in more apud Praedecessores Nostros, nedum in summi Pontificatus primordiis, sed deinceps etiam si quando ostendisset Dominus Populo suo dura, communium orationum praesidium exquirere, cunctosque ad poenitentiam excitare, sacris indulgentiarum opibus prolatis, ut humili confessione exsecrantes iniquitates suas, adirent cum fiducia ad Thronum gratiae, ad Deum nimirum, qui multus est ad ignoscendum, nec continet in ira miserationes suas. Hoc et Nos consilio, quod intenta, multaque prece Patri misericordiarum commendamus, indulgentiam ad instar generalis Jubilaei universo Orbi Catholico denuntiamus, jucunda spe freti, dies tribulationis ab Eo, qui Auctor est totius consolationis, brevium iri, ut, cessante domum quassatione, pax Ecclesiae immota consistat, et publica ubique felicitas restitatur.

Quare de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus, licet indignis, contulit, universis et singulis utriusque sexus Christi Fidelibus in alma Urbe Nostra degentibus, vel ad eam advenientibus, qui Sancti Joannis de Laterano, Principis Apostolorum, et S. Mariae Majoris Basilicas, vel earum aliquam a quarta Dominica Adventus, nimirum a die vigesima tertia hujus mensis usque ad diem decimam tertiam sequentis Januarii inclusive, quae erit prima Dominica post Epiphaniam, et dies octava ejusdem Epiphaniae bis visitaverint intra tres illas hebdomadas, ibique per aliquod temporis spatium devote oraverint, ac quarta, et sexta feria, et sabbato unius ex dictis hebdomadibus jejunaverint, et intra easdem hebdomadas peccata sua confessi, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum reverenter sumpserint, et pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique suggeret devotio, erogaverint; ceteris vero extra Urbem praedictam ubicumque degentibus, qui Ecclesias ab Ordinariis locorum, vel eorum Vicariis seu Officialibus, aut de eorum mandato, et ipsis deficientibus per eos, qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hae nostrae pervenerint, designandas, vel earum aliquam, spatio trium similiter hebdomadarum per eosdem una cum Ecclesiis stabiliendarum bis visitaverint, aliaque supra recensita opera devote peregerint: plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, sicut in anno Jubilaei visitantibus certas Ecclesias intra et extra Urbem praedictam concedi consuevit, tenore praesentium concedimus et elargimur.

Navigantes vero, et iter agentes, ut cum primum ad sua sese domicilia receperint, operibus superscriptis peractis, et bis visitata Ecclesia Cathedrali, vel majori, aut propria Parochiali loci eorum domicilii, eandem indulgentiam consequi possint et valeant: Regularibus autem personis utriusque sexus etiam in Claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque tam Laicis quam Ecclesiasticis, Saecularibus, vel Regularibus in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui memorata opera vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut illa Confessarius ex actu adprobatis a locorum Ordinariis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaeque injungere, quae ipsi Poenitentes

efficere poterunt, cum facultate etiam dispensandi super Communionem cum pueris, qui nondum ad primam Communionem sunt admissi, pariter concedimus et indulgemus.

Insuper omnibus et singulis Christi fidelibus Saecularibus et Regularibus cujusvis Ordinis et Instituti etiam specialiter nominandi, licentiam concedimus et facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Praesbyterum Confessarium tam Saecularem quam regularem ex actu adprobatis a locorum Ordinariis (etiam pro Monialibus, quatenus poenitens Monialis professa vel novitia sit) qui eos ab excommunicationis, suspensionis, et aliis Ecclesiasticis sententiis et censuris a jure vel ab homine quavis causa latis seu inflictis praeter infraexceptas, nec non ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, et delictis quantumvis gravibus, et enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis et Sedi Apostolicae, speciali licet forma, reservatis, et quorum absolutio alias in concessione quantumvis ampla non intelligeretur concessa, in foro conscientiae et hac vice tantum absolvere et liberare valeant, et insuper vota quaecumque etiam jurata, ac Sedi Apostolicae reservata (castitatis, religionis, et obligationis, quae a tertio acceptata fuerint, seu in quibus agatur de praejudicio tertii, semper exceptis, necnon poenalibus, quae praeservativa a peccata nuncupantur, nisi commutatio futura judicetur ejusmodi, ut non minus a peccato committendo refraenet, quam prior voti materia) in alia pia et salutaria opera commutare, injuncta tamen eis, et eorum cuilibet in supradictis omnibus poenitentia salutari, aliisque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis.

Non intendimus autem per praesentes super aliqua alia irregularitate vel publica, vel occulta, seu defectu, aut nota, aliave incapacitate, aut inhabilitate quoquomodo contractis dispensare, vel aliquam facultatem tribuere super praemissis dispensandi, seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi etiam in foro conscientiae; neque etiam derogare Constitutioni cum opportunis declarationibus editae a fel. record. Benedicto XIV. Praedecessore Nostro „*Sacramentum Poenitentiae*„: neque easdem praesentes iis, qui a Nobis, et Apostolica Sede, vel ab aliquo Praelato, seu Judice Ecclesiastico, nominatim excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias et censuras incidisse declarati vel publice denunciati fuerint, nisi intra tempus dictarum trium hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere.

Quapropter tenore praesentium in virtute sanctae obedientiae districte praecipimus atque mandamus omnibus et quibuscumque Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis, et aliis Ecclesiarum Praelatis, ac quibuscumque Ordinariis locorum ubicumque existentibus, eorumque Vicariis, et Officialibus, vel iis deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, ut cum praesentium litterarum transumpta, aut exempla etiam impressa acceperint, illas, ubi primum pro temporum ac locorum ratione satius in Domino censuerint, per suas Ecclesias, et Dioeceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, et loca publicent, et publicari faciant, Populisque etiam verbi Dei praedicatione, quoad possit, rite praeparatis, Ecclesiam seu Ecclesias visitandas ac tempus pro praesenti Jubilaeo designent.

Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore esistenti reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles Indulgentiarum, et facultatum hujusmodi concessionem, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant: nec non Regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum et Congregationum, sive Institutorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, et Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis, quibus omnibus et singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servata habentes, hac vice specialiter, nominatim, et expresse ad effectum praemissorum derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Ut autem praesentes Nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut earundem praesentium transumptis vel exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, ubique locorum, et gentium eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis presentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die secunda mensis Decembris anno millesimo octingentesimo trigesimo secundo, Pontificatus Nostri Anno Secundo. PRO DOMINO CARDINALI ALBANO A. Picchioni Substitutus.

Anno a Nativitate Domini millesimo octingentesimo trigesimo secundo, Indictione Quinta, die vero quarta Decembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, et Domini Nostri Domini GREGORII Divina Providentia PAPAE DECIMI SEXTI Anno Secundo. Praesentes Litterae Apostolicae affixae, et publicatae fuerunt ad valvas Basilicarum Urbis, Cancellariae Apostolicae, ac Magnae Curiae Innocentianae, atque in Acie Campi Florae, et in aliis locis solitis, et consuetis per me Aloysium Pittori Apost. Curs. Joseph Cherubini Mag. Curs.

Eapropter singuli Sacri Curiones, quibus cura animarum in alma Dioecesi Quinque-Ecclesiensi concredita est, solícite praestabunt ea, quae subjunguntur. Scilicet:

1, Die 20. venturi mensis Octobris, quae est Dominica 21. post Pentecosten, terminato Sacro Sermone annuntiatur fideli populo Jubilaeum, — explicentur vernacula lingua Apostolicarum Litterarum §-phi 1, 2, 3, 4, 5, et 7, — deinde significetur ordo Quinque-Ecclesiensi Dioecesi praescriptus, his comprehensus:

2, Dominicis 22, 23, et 24, post Pentecosten, item Festo OO. Sanctorum dicentur Sacri Sermones, quibus fidelis populus praeparetur ad optatos fructus e Sacro Jubilaeo colligendos, — atque ideo Dominica 22-a a Deo revalatae Religionis criteria proponantur; — Festo OO. Sanctorum Christianam Religionem veram a DEO revelatam Religionem esse, demonstretur; — Dominica 23 ex Ecclesiis, quae Christiano nomine gloriantur, solam Romanam Catholicam Ecclesiam esse veram Christi Ecclesiam, neque ullum, qui hanc Ecclesiam deserit, aut quidpiam ex Ejus seu Fidei seu Morum doctrina negat, aeternam salutem consequi posse, probetur; — Dominica 24. explicetur triplex cujuslibet Christiani Catholici obligatio ad aeternam Salutem obtinendam adcuratissime explenda, ut: constanter absque dubitatione credat, quae Deus revelavit, et per Ecclesiam credenda proponit, et hac de causa in dies perfectiorem sibi Religionis notitiam comparare satagat, — omnia morum praecepta observet, Sanctam vitam agat, bonis operibus inflexus merita augere nitatur, — quoties gravioris peccati a conscientia arguitur, sine mora delictum sincera poenitentia expiare conetur.

3, Jubilaeum inchoabitur Festo S. Martini E. et C. et durabit usque Dominicam primam Adventus; tempore autem hujus Jubilaei Dominica 25. de Contritione et Confessione, — Dominica 26. de Satisfactione et Indulgentia, — et Dominica prima Adventus de Perseverantia in Fide, et Bonis Operibus doctrina Catholicae Ecclesiae declaretur. — In Parochiis, ubi plures vernaculae linguae vigent, et singulis sacer sermo quovis die festo non dicitur, plurium Sermonum argumenta conjungere oportebit.

4, In Singulis parochialibus, et quantum adjuncta admittunt, etiam filiarum Templis decursu trium Septimanarum mane quotidie solemne Missae Sacrificium celebretur, cui 11-a Octobris invocatio Sancti Spiritus seu hymnus *Veni Sancte Spiritus* cum versiculo, et oratione praemittatur, — 1-ma Decembris autem gratiarum actio seu hymnus *Te Deum Laudamus* cum versiculo et oratione subjungatur. Utrumque hymnum vernacula lingua praecedente Ludimagistro populus prosequetur.

5, Memoratis tribus septimanis qualibet Feria Sexta et Sabbato terminato Missae Sacrificio Sanctissimum exponetur, et Lytaniae orabuntur prorsus ita, sicut a meridie diebus Domini et festis divinus cultus peragi debet; et quidem Lytaniae cum versiculis et orationibus recitabuntur prima hebdomada Feria 6-ta de SS. Trinitate, Sabbato de Christo humani generis Redemptore, — altera hebdomada Feria 6-ta de Passione Domini, Sabbato de SS-mo Eucharistiae Sacramento, — tertia hebdomada Feria 6-ta de Sancto Spiritu, et Sabbato de OO. Sanctis. Devotio semper sicut pomeridianus festus divinus cultus cantu et Benedictione Populo impertita concludetur.

6, Singuli Indulgentiam lucrari cupientes intra memoratas tres Septimanas duobus profestis diebus parochialem, vel filiae Templum mane, dum Missae Sacrificium celebrabitur, visitabunt ibidem pro concordia Christianorum Principum, propagatione Catholicae Religionis, extirpatione haeresum, alma pace, probis moribus Catholicorum Deum devote deprecaturi; — intra idem tempus semel corde contrito peccata sua confitebuntur, et SS. Eucharistiam pie sument, — semel Feria 4, 6, et Sabbato non modo ab esu

carnium abstinebunt, sed simul unica refectione contenti erunt, — denique pauperibus, praecipue autem publicis Institutis, ubi pauperes aluntur, quidpiam donabunt, hisve similia alia bona opera exercebunt.

7, Confessio poenitentium mane ante, et post Missae Sacrificium, a meridie intra secundam et quartam horam quotidie, si opus fuerit, audiatur; commendetur praeterea fidelibus: ut SS. Eucharistiam sub Missae Sacrificio sumant, et Lytaniis ad dictam Ecclesiae intentionem orandis adesse conentur.

8, Omnes quacunque ratione tribus memoratis septimanis impediti, dum obex cessaverit, expletis, quae desiderantur, Indulgentiae participes reddentur.

Ecce iterum nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies Salutis!! Faxit DEUS: ne ullus, cui haec innotuerint, in vacuum gratiam DEI recipiat, sed ut praescripta pietatis exercitia in Singulorum hujus Dioecesis fidelium animo fructum producant centuplum! atque iisdem facultatem praebeant gustandi: quoniam dulcis est Dominus! Faxit DEUS! ut singuli Christiani, Catholici nomine gloriantes omni malitia, dolo, simulatione, invidia abjectis sicut modo geniti infantes rationale omnis fraudis expers lac concupiscant, quo nutriantur ad salutem; — ut tanquam advenae et peregrini abstineant se a desideriis carnis, quae militant adversus animam, et in omni conversatione Sancti sint, atque sic obtrectatores etiam Catholicae Ecclesiae bona opera fidelium intuentes ad amplectendam Catholicam Religionem alliciantur, et glorificent DEUM in die visitationis; — ut hujus Indulgentiae conpotes futuri tanquam genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis offerant quotidie Spiritales hostias acceptabiles DEO per Jesum Christum, et exhibeant corpora sua hostiam viventem, sanctam, DEO placentem, atque virtutes annuntient Ejus, qui de tenebris nos vocavit in admirabile lumen Suum; — ut Sobrii vigilent et perfectam spem reponant in ea gratia, quae nobis in Adventum Judicis Domini nostri Jesu Christi offertur, amplissima hereditate potituris, quae neque corrumpi, neque marcescere potest, in Coelo; — ut semetipsos divina ope freti caute custodiant, ne insipientium et nefariorum errore abducti firmitate sua excidant, sed potius constanter crescant in Gratia et cognitione Domini et Servatoris nostri Jesu Christi. Ipsi Gloria nunc et in aeternum! Amen. Posenii Calendis Julii anno Christi 1800

Andreas Mistelbauer
Vicarius



Carl August Hegewisch, Vicarius
Pöschel, Vicarius

JOANNES BAPT. SCITOVSKY DE NAGY KÉR,

Dei et Apostolicae Sedis Gratia Episcopus Quinque-Ecclesiensis, S. C. et R.
A. M. Actualis Intimus Status Consiliarius, AA. LL. Philosophiae ac SS.
Theologiae Doctor.

*Venerabili Clero Nostro Saeculari et Regulari, Fratribus, Filiisque in Christo
Charissimis, Salutem et paternam benedictionem!*

Ecclesia Catholica inde ab ultima coena, quam Salvator Mundi priusquam pateretur cum discipulis manducaverat, per omnia saecula indubitata tenebat fide, hodieque intrepide profitetur: in Eucharistiae Sacramento sub speciebus panis et vini Ipsum omnium gratiarum Fontem et Authorem, JESUM Christum Dominum nostrum, ut verum DEUM et Hominem vere, realiter, et substantialiter contineri; eapropter Sanctissimo huic Sacramento extra sumtionem quoque de genu adorationem, divinos (ut dici amat) honores competere, exhibendos venire.

Et quomodo non?! Si enim eo major esse solet subditorum in terrenos Principes reverentia, quo his illi propiores assistunt; sit, oportet illimitata veneratio nostra, dum in Eucharistia Rex regum, et Dominus dominantium nobis proximus est. Si juxta S. Paulum ad nominis JESU recordationem vel pronunciationem *omne genu coelestium, terrestrium et infernorum flectendum est*, a) cernui veneremur Ipsum cum anima, et corpore sub velamine panis revera praesentem; exemplum Moysis imitantes, qui tametsi nunquam non profunde veneraretur Deum, tunc tamen, quum *e rubo ardente audierat loquentem*, sacro quodam horrore percussus in terram se adorabundus prostravit quod Deo se adstare adeo propingvum meminisset; b) — ast et illud fidei memoria retinentes: quod in Venerabili Altaris Sacramento Eundem DEUM revera nobiscum manere credamus, de quo *Pater aeternus, cum Eum in orbem terrae introduceret, edixit: Et adorent Eum omnes Angeli Dei*, c) — quem positum in praesepio *procidentes adoraverunt Magi*, d) — quem denique *discipuli etiam in naviculam ascendentem adoraverunt dicentes: Vere Filius Dei es*, e) quanto itaque nos vehementius ad sensum venerationis et perpetuam quamdam adorationem erga Eum exstimulari sentiemus nunc, quando Is consummato redemptionis humanae opere, et thronum Glorae suae coelestis repetere, et modo mirabili nobiscum incessanter manere benignus elegit. Scrutando isthaec pro merito, quis non exclamabit: *Venite adoremus, et procidamus ante DEUM! quia Ipse est Dominus DEUS noster, nos autem populus eius, et oves pascuae eius!*, f) —

Revolvebant ista devoti Ecclesiae filii pia mente eo tempore sollicitius, quo veritas doctrinae huius Catholicae impeti et pernegari, ipsum autem adorandum Mysterium vilipendi, ferme contemni coepisset. Unde, aliis silentio praeteritis, legimus saeculo 16. magno numero fideles in sanctas perpetuae adorationis Sanctissimi Sacramenti Societates coaluisse, et has primum Romae, exposit ubivis locorum sub nomine *Confraternitatum Sanctissimi Corporis Christi* per complures Summos Pontifices, postremo *Clementem XII.* spiritualibus gratiis, Indulgentiis, privilegiis ad cultum Sanctissimi Sacramenti in dies magis augendum, et dilatandum provisae fuisse.

Quod *Dioecesim nostram* hoc in merito propius concernit, acta testantur, illico ac veneratus Clemens XII Pontifex a. 1732. edita Constitutione *Archi-Confraternitatem Romae in Ecclesia S. Mariae ad Martyres* perprius stabilitam autoritate providisset: idmodi Sanctissimi Corporis Christi Confraternitatibus ubi ubi terrarum coalituris concessas eidem Archi-Confraternitati Indulgentias et spirituales gratias communicandi, in *Ecclesia nostra Cathedrali Quinque-Ecclesiis*, signanter sacello Sanctissimi Corporis Christi, sine hoc per *Alexandrum Fonyó* Canonicum et Parochum restaurato, *Confraternitatem perpetuae adorationis Sanctissimi* erectam, et die 14-a Decembris 1736. per piae memoriae *Sigismundum C. Berényi* pro *Alvaro a Cienfuegos* Cardinale, tunc Episcopo Dioecesano, Episcopatus Quinque-Ecclesiensis Administratorem confirmatam fuisse; — et quia piissimo fidelium Civitatis Quinque-Ecclesiensis in Sanctissimum Sacramentum cultu, totius Dioecesis populus zelo mirifico accensus, institutionem idmodi Confraternitatum etiam extra Civitatem, devoto pectore expeteret, idem *Sigismundus C. Berényi*, qua jam Praesul Dioecesanus, sub 18. April. 1747. tales in omnibus Ecclesiis Parochialibus cum participatione Indulgentiarum, et aliarum gratiarum a summis Pontificibus idmodi societatibus elargitarum autoritate sua ordinaria, erigendas, et instituendas indulsit, et disposuit.

Ut primum personuit vox Pastoris in Ecclesiis parochialibus, benedicebat Domino plebs fidelis, et *laetata est in his, quae dicta sunt ei*; g) *quia non est alia natio, alia religiosa Confessio tam grandis, tam praecelsa, quae habeat DEUM ita adpropinquantem ita adhaerentem sibi, sicut DEUS noster adest nobis*, h)! Eapropter aemula contentione senes, et juvenes — viri et mulieres — divites et pauperes nomina sua Sacrae Confraternitati tamquam libro vitae inferri properabant, pie confidentes, *nomina eorum scripta quoque esse in coelis!* — Videre tunc erat, ductu Statutorum Confraternitatis, quavis Dominica novilunari frequentiam poenitentium et *de mensa Domini adversus eos, qui tribulant nos*, fortium panem sumentium; — videre erat ad Venerabile Sacramentum, ubi ubi saltem se occasio offerebat, multitudinem de genu DEUM verum praesentem adorantium et pro concordia Principum, conversione errantium, quiete civium, unione Christianorum comprecantium; — videre erat numerosos sociorum inter cantica, et supplicationes Sanctissimam Eucharistiam ad aegrotos delatam comitantium, et circa domum, *cui salus facta est*, in genua prostratorum, — Verbo videre fuit usque ad lachrymas solatii, quanto cum animi desiderio, — spiritualis dulcedinis praegustu interna, externaque prae-

a) Philip. 2. 10. — b) Exod. 3. 5. — c) Hebr. 1. 6. — d) Math. 2. 11. — e) Math. 14. 33. — f) Psal. 94. v. 6. 7. — g) Psal. 121. 1. — h) Deut. 4. 7.

paratione operiebantur socii festivos Confraternitatis dies; quanto in his cum confluxu partem capere adnitebantur quantave iisdem cum cordis compunctione, mentis devotione, corporis modestia et humiliatione interveniebant, praeter 7. annum, et 100. dierum frequentius per anni decursum, insuper cum ingressu in sacram societatem-quotannis festo principali confraternitatis- et in agone, sub solitis conditionibus Indulgentias plenarias lucraturi: Ex his

Innegabile est Confraternitatem Sanctissimi Sacramenti fuisse certissimum vehiculum, quo assensus principali catholicae fidei articulo in mentibus fidelium firmaretur, — frequens Sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae usus indeclinabilis redderetur, — pietas, quae ad omnia utilis est, mirifice augetur, ac taliter vitiis salubria repagula, virtuti autem christianae efficacissima incitamenta tribuerentur, prout omnia haec e Statutis dictae Confraternitatis innotescent. His pro gravitate, et utilitate sua perpensis, Fratres, et Filii charissimi! hora est jam nos de somno surgere, a) — et suspirare: *Convertite nos DEUS salutaris noster!* b) *ut tuis auxiliis et abstrahamur a noxiis, et ad salutaria postliminio dirigamur!* c)

Piissima haec sanctissimi altaris Sacramenti Confraternitas non parum accepit incrementi, dum devotissimo Divae Mariae Theresiae desiderio conformiter in cunctas materno eius sceptro parentes ditiones, sancta illa consuetudo dispositionibus ordinariarum inducta est, qua Venerabilis Eucharistiae Sacramenti adoratio toto anno ita continuetur, ut nulla sit dies, qua non in aliqua Ecclesia sanctissimum publicae venerationi exponatur; imo nulla etiam hora sit, qua non ab aliquibus in Augustissimo hoc mysterio latens divinitas religiosissime adoretur. — Tam salutaria Regii Cordis vota nedum secundare, promovere etiam ex animo cupiens eius temporis magnae memoriae Dioecesis huius Antistes Georgius Klimo, dimissis die 15 Decembris 1772. literis pastoralibus, ipsam venerabilis Sacramenti Confraternitatem perprius jam in compluribus Ecclesiis vigentem in quasvis Ecclesias parochiales et Conventuales inducendam disposuit et praecipit; de novo veterem illam perpetuae adorationis Sanctissimi Confraternitatem insignibus Summorum Pontificum gratiis et privilegiis fulgentem autoritate sua Ordinaria, cum quibusvis statutis, et regulis confirmavit et constabilivit; cuius Ecclesiae certam diem, in sensu Constitutionum Pontificiarum Indulgentiis plenariis gavisuram pro principali festo Confraternitatis huius defixit non solum, sed et modum festivitatis huius, ipsiusque adorationis Sanctissimi ordinem designavit.

Credite Fratres, Filiique Dilectissimi! non possumus non uberrimis perfundi lachrymis, dum tam salutaris Instituti tenuia solum diebus nostris videmus vestigia! quis enim locus, quisve populus est, et laudabimus eum, apud quem statutorum Confraternitatis religiosa observantia obtineret?! nonne decoxit hanc incredulitatis, et impietatis pruina, — tunc solum cessatura! dum nos elegerimus abjecti — prostrati — esse in domo Domini magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum „d) et Justus Dominus, qui non cessat ostendere populo suo dura, propitius erit peccatis nostris propter Nomen Suum! „e) Unicum in tantopere prostrato hoc pietatis Christianae exercitio inibi peracerbo dolori invenimus lenimen, quod piorum idmodi Institutorum desideria reviviscere incipiant, hic ibique jam resecta devoto affectu suscipiantur, — quodque una illa dies adorationis Sanctissimi, velut venerandae idmodi Instituti reliquiae religioso non minus ac festivo cultu in non paucis Ecclesiis celebretur.

Circa hanc adorationis Sanctissimi annuam festivitatem, velut peropportunum ad Ipsius Confraternitatis refectionem vehiculum hac vice vos Dilectissimi! alloquio paterno convenire, et eam de novo hac de causa coordinare constituimus, quia ab a. 1772. Dioecesis 19. parochiis in Slavonia minuta, — ex adverso 57. parochialibus Ecclesiis aucta est, in quarum aliquibus priyata tantum Curatorum pietate dies Adorationis defixa — in quibusdam a die originaliter designata aequae privata parochorum voluntate in alias imprimis dominicales, et festivales dies translata existit; memores etiam ejus circumstantiae, quod mensibus quibusdam, v. g. Januario in 27. — aliquibus vero, uti Aprili, Maio in 7. — Junio, Julio in 6. solum Ecclesiis devotio isthaec asservetur; prout etiam, quod dominicorum et festivorum dierum a pluribus expetitorum praeferens sit habenda ratio, ut quippe ab operibus servilibus liberi fideles, die tota adorationi sanctissimi vacare, et commodius quoque ad Sacramentorum participationem accessuri Indulgentiarum plenariarum (jam jam plene festivitate hac de memoria dimissarum) digni efficiantur.

Eapropter in nomine Domini praesentium per vigorem eam adorationis Venerabilis sacramenti annuam devotionem, quam optimae memoriae Antecessor noster Georgius Klimo praecitato anno 1772. veteri illi confraternitati Sanctissimi Corporis Christi unitam constituit, et certa die peculiari cum festivitate asservari mandavit, nos porro constabilimus, et religiosa cum observantia, ac omni, quae tantum sacramentum decet veneratione, et solennitate celebrari praecipimus; omnes illos utriusque sexus fideles, in sensu Constitutionum a summis Pontificibus editarum Indulgentias plenarias ex infinitis meritis Christi consecuturos declarantes, qui in Ecclesia autoritate nostra, defixa adorationis Sanctissimi die, vere poenitentes confessi, ac Sacra Communione refecti pro S. Matris Ecclesiae exaltatione, errorum exstirpatione, et Principum populorumque pace et concordia coram Sanctissimo Altaris Sacramento pias ad DEUM omnium Bonorum Largitorem preces effuderint. — *Te Domine in spiritu humilitatis deprecantes! ut quisquis idmodi templum beneficia petiturus ingreditur, cuncta se impetrasse laetetur* f)

Jam quod ordinem et modum devotionis huius attinet, is in sequentibus consistat:

1-o, Devotio praevis ex ambone annuncietur populo, cum uberiore et cordiali cohortatione, ut diem hunc totum pietatis operibus consecrent — quopluces ad Sacramenta accedant — horas, et ordinem in adorando Venerabili secundum familias, domus, plateas, prout scilicet oportunius fuerit defixum, aequae ex ambone per extensum publicandum, et in scripto foribus Ecclesiae appendendum, religiose observent, — et in Communitate nulla conventicula, convivia, lusus, clamores patiantur.

2-o, Si poenitentium frequentia poposcerit (et eo est omnimode contendendum!) parochus mature sibi de subsidario Confessario provideat, ut maior poenitentium pars pridie promeridianis horis exaudiatur.

3-o, Ipsa Adorationis die, praemissis ab hora 6. pulsibus, hora 7. dato compulsu sacerdos cum ministris exit ad aram, et praemissa incensatione, ac intonato: *Tantum ergo*. Venerabile Sacramentum inter ardentes minimum sex candelas pro adoratione exponit, ad seabellum ante aram locatum, vel arae gradum genuflectendo, persolvit, voce levata preces pro devotione hac praescriptas et finitis his sacrum lectum celebrat, sub quo populus comitante organo S. hymnos de Augustissimo hoc Mysterio canit.

4-o, Ante singulam horam $\frac{1}{4}$ citius ($\frac{3}{4}$ pro 8-o — $\frac{3}{4}$ pro 9.) datur campana majore signum breve; ut qui de ordine stabilito pro adoratione Sanctissimi sequuntur, in unum collecti inter concentum hymnorum, vel recitationem precum adveniant. Ex ingressuris Ecclesiam duo-tres in scamno, vel flexorio ante aram parato genuflectent, et superiori puncto memoratas preces, uno clara voce praecorante, absolvent; post has vero hymnos congruos concinendo, vel etiam

rosarium orando horam suam explebunt. Idem singula hora adorationis (tantum publicorum divinorum excepta) novi adorantes repetent.

5-o Praemissis, pro solennibus publicis divinis, pulsibus hora 10. inomisse dicatur *sermo sacer*, cui *Actus Fidei Spei et Charitatis* subnectantur, et tum *sacrum cantatum* persolvatur, ad cuius initium, admittente tempestate, intonato *Pange lingua*, processio cum Venerabili circa Ecclesiam instituatur, ad finem vero jam indicatae preces officiante praeorante, absolvantur.

6-o Ab hora 12. meridiana usque 1- pro adorantibus ordinarie scholastica juvenus cum Docentibus disponatur, id, quod aliis horis fit, observatura.

7-o, Hora 3-a dato compulsu *vesperae* persolvantur, et hora 5-a *repositio Venerabilis* omni cum solennitate perficiatur ita, ut exiturus ad aram cum ministris Officians, persolvat ante omnia *Lytanias de SS. nomine JESU*, et tum preces toties attactas; quibus finitis subjungatur conveniens Canticum v. g. *Ez nagy szentség valóban. vel Imádk Sz. Ostya.* per extensum decantandum. Tum intonetur et decantetur: *Te DEUM.* cui duo *Ÿ.* et duae orationes, quippe: *pro gratiarum actione* — et de *Sanctissimo* subnectuntur, ac tandem praemissis *Ÿ. Ÿ. Sit nomen Domini et Adjutorium nostrum.* per *Benedictio DEI Omnip.* data benedictione, populus itidem concinnendo dimittitur et solennitas clauditur.

Observandum a) Ubi subsidiarius Presbyter haberi non potest, occasione expositionis matutinae reliquis observatis, missa lecta emanet. — b) Ubi *minor adorantium numerus* continuam expositionem sanctissimi non admittit, quod iudicio curatorum relinquatur, ibi finitis ante meridiem solennibus divinis, Venerabile cum: *Genitori.* reponatur, et hora 3. cum *vesper.* adorationis horae reassumantur; — ubi denique *ob fidelium paucitatem* vel alias causas, extra horas divinorum publicorum vix 10 — 15. comparituri sperantur, ibi adorationis devotio ad solum publicum cultum divinum matutinum, et vespertinum ita restringatur: ut mane post compulsu coram exposito Venerabili primo preces praescriptae persolvantur, tum sacer sermo pronuncietur, ac sacrum decantetur, a meridie autem intermissis vesperis, hora oportuna devotio repositionis Sanctissimi asservetur. — c) Ad conciliandam augendamque devotioni huic majorem festivitatem, — conservandam *matricis Ecclesiae praecellentiam* et erga eam in cordibus fidelium venerationem, utpote qui in ea sacro lavacro abluuntur, ordinarie chrismate salutis confirmantur, nupturientes benedicuntur etc. filialium ecclesiarum populus in matre Ecclesia solennitatis festo hoc Adorationis partem capiat; quocirca die idmodi divina (ni gravissima ex ratione, et tunc etiam privatum solum sacrum fiat) in ecclesiis filialibus non celebrentur.

Denique pro Ecclesiis parochialibus, et conventualibus dies Adorationis Sanctissimi hacce serie designamus et iisdem Indulgentias plenarias affigimus; quippe:

pro Parochia:

Abaliget	—	Dom. Sexages.
Agárd	—	— IV. Advent.
Apar	—	Fer. III. post. Dom. Pass.
Báán	—	Fest. S. Emerici 5. Nov.
Baar	—	Dom. XI. post Pent.
Babarcz	—	Fest. S. Urbani 25. Maji.
Bakonya	—	Dom. V. post Epiph. v. Septuag.
Baranyavár	—	Fest. Visit. B.M.V. 2. Julii.
Bátta	—	Dom. III. Advent.
Báttaszék	—	Anniv. Cons. Eccl. Dom. II. post Pent.
Battina	—	Fest. S. Jacobi Ap. 25. Julii.
Bedégh	—	— S. Laurentii 10. Aug.
Bellye	—	— S. Magdal. 22. Jul.
Berement	—	— S. Luciae 13. Dec.
Berkesd	—	— S. Joan. Bapt. 24. Jun.
Bikál	—	Dom. XVI. post Pent.
Bitsérd	—	— IV. post Epiph. v. Septvag.
Bizovác	—	— II. post Pascha.
Bodony	—	— IV. Quadrag.
Bogád	—	Fest. S. Adalberti 23. Apr.
Bogdása	—	— Exalt. S. Crucis 14. Sept.
Boly	—	— S. Catharinae 25. Nov.
Bonyhád	—	Anniv. cons. Eccl. Dom. XIV. post. Pent.
Bölcske	—	Festum S. Raphaelis Arch. 24. Oct.
Bozsok	—	Dom. V. post Pascha.
Brodjancze	—	— infra Oct. nativ. D. N. J. C.
Bükösd	—	Anniv. Cons. Eccl. Dom. VII. post Pent.
Czikó	—	Fest. S. Margaritha 13. Jul.
Darázs	—	Dom. VII. post Pent.
Dályok	—	Fest. Purif. B. 2. Febr.
Darda	—	— S. Rochi 16. Aug.
Diós-Berény	—	Dom. X. post Pent.
Dombóvár	—	— XVII. post Pent.
Döbrököz	—	Fest. S. Joachim.
Dráva-Szent Mártony	—	Dom. XII. post Pent.
Egerágh	—	Dom. SS. Angel. Cust.
Ertény	—	Fest. S. Ladisl. 27. Jun.
Fadd	—	— S. Matthaei Evang. 21. Sept.
Felső-Mindszent	—	— S. Aloysii 21. Jun.
Felső-Nyék	—	— S. Joan. Evang. 27. Dec.
Földvár par.	—	Dom. XV. post Pent.
— Conv.	—	Fest. S. Franc. 4. Oct.
Garé	—	Dominica Resurrectionis.
Gödre	—	Fest. S. Elisabeth 19. Nov.
Görcsöny	—	— S. Georgii 24. April.
Grábóc	—	— S. Antonii. 13. Jun.
Gyula-Jováncza	—	— Transfig. D. N. J. C. 6. Aug.
Harkanoveze	—	— S. Barbarae. 4. Dec.
Hetvehely	—	— B. M. V. de monte Carm.
Himesháza	—	— S. Valentini 14. Febr.
Hird	—	— S. Rosaliae 4. Sept.
Hosszú-Hetény	—	Dom. in Albis.
Högyész	—	Fest. S. Annae 26. Jul.
Jánosi	—	— B.M.V. ad nives 5 Aug.
Ibafa	—	— S. Lucae 18. Oct.
Iregh	—	Dom. III. post Epiph.
Izsép	—	— Consecrat. Eccl.

pro Parochia.

Kajdats	—	Dom. II. Advent.
Kakasd	—	Fest. SS. Philip. et Jacob. 1. Maji.
Kánya	—	Dom. II. post Epiph.
Kárász	—	— VIII. post Pent.
Kéér	—	— Quinquagesimae.
Kéménd	—	— SS. Rosarii.
Keszű	—	— Septuagesimae.
Kis-Asszonyfa	—	Fer. VI. post. Ciner. V. Vuln. D. N. J. C.
Kis-Dorogh	—	— VI. ante Dom. IV. Quadrag.
Kis-Székely	—	Dom. II. post Pent.
Kocsola	—	— SS. Trinitatis.
Konyi	—	Fest. Conver. S. Pauli 25. Jan.
Köblény	—	— SS. Fab. v. Sebast. 20. Jan.
Kömlöd	—	— S. Stephani P. Mart. 26. Dec.
Kövágó-Szöllös	—	— Epiph. Domini 6. Jan.
Kurd	—	Dom. XXII. post Pent.
Lakk	—	Feria II. Paschatis.
Lakocsa	—	Dom. ult. post Pent.
Lantsuk	—	Fest. S. Barnabae 11. Jun.
Laskafalva	—	Dom. V. post Pent.
Lengyel	—	Fest. S. Stephani. R. 20. Aug.
Lovász-Hetény	—	Fer. IV. post Dom. Pass.
Lucs	—	Dom. XX. post Pent.
Mágocs	—	Fest. OO. SS. 1. Nov.
Magyar-Hertelend	—	Feria III. Paschatis
Mais	—	Fest. Nativ. B.M.V. 8. Sept.
Mariancze	—	— S. Demetrii 26. Oct.
Miholác	—	— Inuent. S. Crucis 3. Maii.
Miszla	—	Dom. IX. post Pent.
Mohács paroch.	—	Fest. S. Clarae V. 12. Aug.
— Convent.	—	Fer. VI. ante Dom. III Quadrag.
Mosgó	—	Fest. Despons. B. M. V. 23. Jan.
Mocsolád	—	Dom. III. post. Pent.
Mözs	—	Fest. Nominis B. M. V.
Mutsi	—	— S. Vendelini 20. Oct.
Nádasd	—	Anniv. Cons. Eccl. Dom. V. post Pasch.
Nagy-Mányok	—	Fest. Divis. SS. Apost. 15. Jul.
Nagy-Nyárad	—	— S. Floriani 4. Maji.
Nakk	—	Fer. V. post Dominic. Pass.
Némethi	—	Dom. XIX. post Pentec.
Németh-Márok	—	Fest. Patrocin. S. Joseph.
Németh-Ürögh	—	— Praesent B. M. V. 21. Nov.
Olasz	—	— S. Donati 7. Aug.
Ozora	—	— Concept. B. M. V. 8. Dec.
Páári	—	Fer. VI. ante Dom. V. Quadrag.
Paks	—	Dom. infra Octav. OO. SS.
Pálfa	—	Fest. Annunc. B. M. V. 25. Mart.
Pécsvárad	—	— 7. Dolor. B. M. V. Fer. VI. ante Palm.
Pellérd	—	Dom. I. Adventus.
Petriecze	—	Fest. S. Michaelis 29. Sept.
Princzehely	—	— S. Martini 11. Nov.
Podgácz	—	Dom. XIV. post Pent.
Quinque-Eccles. Cathedr.	—	Fest. Circum. Dom. 1.2.3. Januar.
— ad B.M.V. Purif.	—	Dom. infra Octav. SS. A. Petri et Pauli.
— ad S. Augustinum	—	Dom. VII. Dolor. B. M. V. in Septembri.
— ad S. Franciscum	—	Fest. stig. S. Francisci Ser. 17. Sept.
Ráczmecske	—	— S. Marci 25. Apr.

pro Parochia.

Ráczpetre	—	—	Dom. I. Epiphaniae
Radikoveze	—	—	Fest. SS. Innocentium 28. Dec.
Regöl	—	—	— SS. nominis JESU.
Saásd	—	—	Fer. II. Pentecost
Siklos	—	—	Sabbat. ante Dom. Palmar.
Simontornya	—	—	Dom. IV. post Pentec.
Shlivosheycze	—	—	— VI. post Pent.
Somberek	—	—	— Circum. Domini sequ.
Sumony	—	—	Fest. S. Josephi 19. Mart.
Szabolcs	—	—	— S. Thomae 21. Dec.
Szajk	—	—	Dom. II. Quadragesimae
Szakadath	—	—	— XIII. post Pent.
Szakál	—	—	Fer. VI. ante Dom. II. Quadrag.
Szaks	—	—	Dom. penult. post Pent.
Szalatnak	—	—	— VI. post. Epiph. alias Septuag.
Szálka	—	—	Fest. S. Bartholomaei 24. Aug.
Szántó	—	—	— Expect. Partus B. M. V.
Szászvár	—	—	— S. Caroli Borom. 4. Nov.
Szebeny	—	—	— Ascensionis D. N. J. C.
Szelecső	—	—	— S. Theresiae 15. Oct.
Szek	—	—	— S. Gregor. Pap. 12. Mart.
Szent-Dienes	—	—	— S. Nicolai 6. Dec.
Szent-Erzsébet	—	—	Dom. Pentecostes
Szent-György	—	—	— XVIII. post Pent.
Szent-Iván	—	—	Fest. SS. Simon. et Judae AA. 28. Oct.

pro Parochia.

Szent-Király	—	—	Fer. III. Pentecost.
Szent-László (Simegh-.)	—	—	Fest. S. Leopoldi 15. Nov.
Szent-László (Püspök-.)	—	—	— S. Andreae 30. Nov.
Szent-Lőrincz	—	—	Dom. III. Quadrages.
Sexárd	—	—	Fest. SS. Petri et Pauli AA. 29. Jun.
Szigethvár paroch.	—	—	Dom. XXIV. post Pent.
— convent.	—	—	Fest. S. Mathiae Ap. 24. Febr.
Tamási	—	—	— S. Cordis JESU.
Tevel	—	—	Dom. I. Quadrag.
Tolna	—	—	— Patroc. B. M. V. in Novemb.
Toth-Keszi	—	—	Fest. S. Joannes Nepom. 16. Maji.
Vaiszló	—	—	Dom. V. Quadrages.
Valpó	—	—	— III. post Pascha.
Varasd	—	—	— IV. post Pascha.
Várdomb	—	—	— XXI. post Pent.
Vásáros-Dombó	—	—	Fer. II. post Dom. Passion.
Vaszar	—	—	Fest. Assumpt. B. M. V. 15. Aug.
Véménd	—	—	— S. Blasii 3. Februar.
Velishkoveze	—	—	Dom. VI. post Pascha.
Villány	—	—	Fest. Pret. Sangv. D. N. J. C.
Villjevo	—	—	— S. Eliae 20 Julii
Vörös-Marth	—	—	— S. Petri ad vincula 1. Aug.
Závod	—	—	Dom. XXIII. post Pent.
Zomba	—	—	Fest. Gabrielis Arch. 24. Mart.

Sunt adhuc quaequam, quorum intuitu ex nexu cum praecedentibus uniformitatis inducendae, et tenendae gratia opportunitate hac convenit disponere; est autem de Sanctissimi Sacramenti processionali circumgestatione et sub cultu publico expositione. Quamquam *Conc. Trid. Sess. 13. cap. 5 et 6. de Euch.* declaret: *pie et religiose admodum in Ecclesia inductum fuisse morem; ut singulis annis peculiari festo die per vias et loca publica Sanctissima Eucharistia circumferatur; nec minus laudabilem esse ritum et consuetudinem illum publice populo ad adorandum proponendi* nihilominus nimis frequens seu in processionibus circumgestatio, seu publica expositio, qua non raro et populi devotio et reverentia tanti sacramenti diminuitur, non modo laudabilis non censebatur, imo etiam variarum synodorum Constitutionibus, Episcoporumque ordinationibus ita limitabatur, ut devotioni populi et reverentiae Sacramenti subserviat. Unde ad nimis frequentem, et discrepantem Sanctissimum exponendi usum tollendum, atque ad arbitrium usque prolapsam consuetudinem primaevae uniformitati velut distinctivo Ecclesiae Catholicae characteri restituendam, et ita moderandam, ut tam pietati populi, quam reverentiae Augustissimi Sacramenti satisfiat, statutum ad Ecclesias jam per nos canonice visitatas inductum cum tantilla mutatione pro universali in Dioecesi norma, vigore harum inducimus, constituendo: ut sanctissimum Sacramentum in Monstratorio processionaliter ex Ecclesia nisi sequentibus diebus efferatur: Nocte Resurr. Domini — Dominica Resurrectionis — Dominica Pentecostes — Festo Corporis Christi — In Patrocinio Ecclesiae, quod etiam in sequentem Dominicum diem, si secus debita cum solennitate celebrari non posset, transferri poterit: — et die Adorationis Sanctissimi: — *Expositionem autem Venerabilis* sub Missa cantata disponimus in sequentes dies: Omni Dominica novilunari tamquam in Dioecesi hac praevalentis Confraternitatis Corporis Christi venerandum memoriale, qua etiam processionem in locis restabiliendae, DEO auxiliante, Confraternitatis Corporis Christi ex privilegio peculiari instituere licebit, — omnibus praeexpositis diebus, quibus Sanctissimum processionaliter circumferatur — die prima anni civilis, quia ad hunc fontem gratiarum hac die pro bonis animae et corporis imprimis convenit supplicare; — Festis SS. Nominis Jesu, et Mariae, quibus per concessas pro tota Ecclesia Indulgentias plenarias peculiaris veneratio addita est; — Festo SS. Apost. Petri et Pauli, velut patrocinii dioecesanii — Festo Assumptae Dei Genitricis, qua principali festo Beatissimae Matris; — Festo OO. Sanctorum; — sub prima Missa de Rorate, — et in Nativitate D. N. J. C., nullatenus tamen sub Missa nocturna. His iisdem diebus etiam *sub cultu pomeridiano* Venerabile, si copiosior adfuerit populus exponi poterit — insuper in sepulchro Domini feria 6. in Parasceve et Sabbato Sancto, — quavis feria 6. per S. Quadragesimam — et pro Gratiarum actione ad vesperam ultima die anni modalitate per Circulares die 20. Novemb. a. 1840 sub Nro. 1714. — item die 20. Januarii a. c. sub N. 158. dimissas, praescripta.

Et haec sunt Venerabiles Fratres et Filii Dilectissimi! quae Vobis cum effluxu 70. annorum ab originaria circa *annuam Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti adorationem* dispositione, de efficacissima hac ad roborandos in fide, et pietate fovendos Ecclesiae filios devotione, in vicem novae coordinationis annuenda, et pro observantia in Domino praescribenda habuimus; vos una per immensam hanc Filii Dei in nos charitatem, cuius sicut luculentam, ita et admirabilem contestationem in Sacrosancta Eucharistia quotidie exhibere pergit, paterne commonemus, et obsecramus: ut statuta Adorationis die, velut unico cultui Altissimi, et gratiis in totum annum a Patre misericordiarum exorandis consecranda, *vos domusque vestra sit vere speculum!* in quo videant fideles: quod vitato omnimode ad vos extraneorum imprimis concursu, conversationem Illius, qui in Coelis est, et Altaris mysterio continetur, toti expetatis; — quod in Ecclesia plurimas diei huius horas precibus, ovibus pascuae vestrae immixti vacando, aut per vices adventuris fidelibus comprecando exigere elegeritis; — quod domus vestra alias provida hospitalitate conspicua, hac die frugalitati imprimis, et alto silentio dedita, vere religiosae, et cum Deo conjunctae familiae imaginem referat; — Si quando, hac imprimis die facto testemini, *quam dilecta sint vobis tabernacula Dei, quantumve concupiscat anima vestra in atriis Domini morari, et psallere virtutes ejus!* a) — Deus autem, qui dives est in Misericordia propter nimiam charitatem suam, qua Filium suum JESUM nobiscum manere voluit, aptet nos in omni bono: *ut omnia faciamus sine murmuratione, et haesitatione, ut simus sine querela, et reprehensione,* b) — Dominus sit cum omnibus Vobis! Datum in Residentia nostra Episcopali Quinque-Ecclesiis die decima quinta Decembris anno millesimo, octingentesimo, quadragesimo tertio, Episcopatus nostri anno decimo sexto, Quinque-Ecclesiensis quinto.

a) Ps. 83. 11. — b) Philipp. 2. v. 14. 15.

annuam Expositionem

*ad gratiam Munda
procedere parat*

